


E. 15





DE ARTE
IOCANDI LIBRI QVA-
TVOR SCRIPTI CARMINE A
MATTHEO DELIO FILIO MATTHEI
Delij gubernantis Studia
Doctrinae in Incllyta
vrbe Ham-
burga,

Cum praefatione Philippi Me-
lanthonis, de tribus virtu-
tibus in sermone, Ve-
ritate, Comitate &
ευτραπεία.

VVITEBERGAE

1555.

CLARISSIMO VIRO

MATTHEO DELIO AMI-

CO UETERI Philippus

Melanthon

S. D.



INDIDIT Deus hu-
manis pectoribus sogyās cum
propter alias causas, tum uero
precipue eò ut sint commone-
factrices de amore æterni Pa-
tris erga filium, & erga nos.
Sæpe igitur nos senes in ca-
lamitatibus eorum, qui ex nobis nati sunt, gementes
intuemur Deum, & cogitamus ingentem amorem
Dei erga nos esse, cum talis sit, qualis est hic amor in
nobis erga nostram Sobolem. Quanquam igitur
non dubitamus filios tuos ad æternam Academiam
euocatos esse, tamen fieri non potuit, quin immaturus
utriusq; interitus tibi dolorem adferret. Præsertim
uero dolendū fuit Mattheū in ipso flore adolescentiæ
extinctū esse, cum spes esset magno eum usui et orna-
mento Ecclesiæ futurum esse. Nam & ingenium eius
omnium doctrinarum capax erat, & rectitudo erat
iudicij eximia, deinde uirtutum quas in eo natura in-
coauerat, iusticiæ, pietatis erga parentes, ueritatis,
candoris, modestiæ, castitatis, temperantiæ & uere-
cundiæ pulchrum decus erat. Sed multo illæ pulchri-

ores



ores erant, quas filius Dei uoce Euangelij & Spiritu
sancto incenderat, uera Dei agnitio, & invocatio ar-
dens fiducia Mediatoris, Studium inquirendi fontes
doctrinae, & amor ueritatis, alacritas in celebrandis
Dei beneficijs, tolerantia in morbo, spes firma dulcissi-
ma consuetudinis cum caelesti Ecclesia. Talis cum
esset Mattheus, gratulabamur & ipsi hoc ingens bo-
nū, quod templum Dei esset, & nobis, quod in nostro
coetu tale Ecclesiae membrum esset, quod & precibus
& propagatione doctrinae nos iuaret, & exemplo
ceteris praeluceret, & optabamus ei diuinitus tribuī
longa uita & spacia. Sed corporis imbecillitas statim con-
specta est, cum attigisset climactericum annum pri-
mum & uicesimum, quo paulatim Pthisi absumptus
est. Quo tempore cum uideret naturam corporis
superari uiolentia morbi, placido animo uoluntati
Dei obtemperauit, & quotidie Ecclesias, te patrem,
patriam, ardentibus precibus Deo cōmendauit, mul-
ta etiam de doctrina disseruit, subinde miscens uota,
quibus petebat, ne limpidi fontes doctrinae turbaren-
tur. Saepe etiam dicebat sibi uideri nos in hac caligine
uiuentes similes esse iter facientibus noctu, praesertim
in locis horridis nec satis notis, qui & optant Solis
ortum, & ualde letantur conspecta aurora. Sic di-
cebat se adhuc uelut noctu iter facientem expetere
caelestis Ecclesiae lucem & sapientiam. Memini haec,
quia cum uicinum esset eius cubiculum in aedibus Col-
legij meo, saepe ad eum accedebam, & quotidie apud

eum erat meus minister, qui filium tuum ualde diligebat. Aliquoties & Lutherum ad eum adduximus, apud quem alacri animo confessionem fidei & inuocationem filij Dei repetiuit, & Deo gratias egit, quod Euangelij puritatem nobis reddidit, Ipsi etiam Luthero gratias egit, quod per eum fontes doctrine monstrati sint, Sequi longiora ei uitae spacia optare dixit, quia ipso ex hac statione euocato mox secutura essent docentium & Principum γιγαντομαχίαι, Huic uaticinio adolescentis proh dolor breui post tristissimi euentus responderunt. Nam Lutherus non diu ei superstes fuit. Tandem cum prorsus extincta essent corporis uires ἀτροφία, discessit anima ad illam semper expetitam caelestis Academiae lucem & sapientiam. Etsi autem talis migratio ipsi gratulanda fuit, tamen Ecclesiae causa doluimus talem nos commilitonem amisisse, qui iuuare nos & precatione & labore docendi potuisset. Inchoarat iam utiles quasdam lucubrationes, quibus sese & ad cogitationem de Deo exuscitauerat, & contra hostes purae doctrine armauerat, Sed haec quia non pertexuit, nemo chartas diligenter collegit. Vnicus hic liber de arte Iocandi quasi ex funere raptus est, quem adparet scriptum esse, ut defatigatum ingenium serijs operis, quasi hac hilariore materia recrearet.

Quanquam autem aliter haec à grandioribus natu,
quos aetas, usus rerum, & communes erumne in uita
multa

multa monent, scribuntur, aliter ab adolescente, tamen edidi, ut specimen ingenij ipsius extaret, & à candidis lectoribus peto, ne morose iudicent, ac non solum ætati condonent ea, quæ desiderant, Sed etiam cogitent nondum accessisse limam, ac deplorent uitæ nostræ fugacitatem & tristia fata Reipub. quæ ex hac militia multos rapiunt antequam prodesse cæteris possunt. Quot memini natos in familijs Nobilibus & alios qui ingenijs & eruditione excelluerunt, & magno usui atq; ornamento Reipub. futuri erant, si uixissent, quos tamen fata nobis in ipsa adolescentia eripuerunt. Agnoscamus nos homines esse natos, non ut in his ærumnis diu uiuamus, Sed hanc uitã iter esse ad æternam Ecclesiam, nec tamen aliter colligi æternam ecclesiam, nisi uoce doctrinæ in hac ærumnosa uita. Studia igitur doctrinæ amemus & tueamur, quia semina sunt illius æternæ lucis & sapientiæ. Ac de filio tuo Mattheo, tantum hic præfari uolui. Nunc pauca de materia huius operis addam.

Erunt aliqui torui, qui curiosi simulant, & Bacchanalia uiuunt, qui & nos reprehendent, quod scripta iocosa seu legimus, seu legenda alijs edimus, & accusant Aristotelem, qui inter uirtutes numerat εὐταπειλίαν, cum Paulus ad Ephesios scribens, εὐταπειλίαν inter uicia recenset. Etsi recte instituti quid respondendum sit, non ignorant, tamen ad docendos iuniores addere sequentem explicationem uolui.

Regula uitæ, & fons ac norma uirtutum est Decalogus, recte intellectus. Inde descendum est simpliciter necessarias esse omnibus actiones & uirtutes quæ ibi precipiuntur, ut necessaria est Mansuetudo de qua dicitur, Non occidas. Necessaria Castitas, de qua dicitur, Non mœchaberis. Et hic necesse est comprehendere leges alibi traditas, ut in 18. cap. Leuitici, & alibi de Castitate. Sic necessaria est uirtus, Veritas de qua dicitur. Non dices falsum testimonium. Sunt autem quædam uirtutes non necessariae omnibus, ut Mulieri non necessaria est Alexandri fortitudo dimicans in acie. Hoc discrimen seu actionum, seu uirtutum semper in conspectu sit, ne unquam à præceptis aberrant animi in eo genere actionum, quod necessarium est.

Nunc de Aristotele dicam, qui tres uirtutes nominat, quæ proprie circa sermonem uersantur, quarum prima est Veritas, quæ prorsus necessaria est omnibus, ut manifestum est uitam sine Veritate regi non posse, Extincta ueritate necesse esset simul interire doctrinas & artes omnes, iudicia, contractus, & pacta. Loquor de uirtute prestantissima agrestius quam oportebat. Est autem Veritas seu ueracitas constanter uelle & cogitationes ueras habere, & dicere uera, id est, congruentia cum rebus, nec cogitando aut dicendo adseuerare falsa, id est, pugnantia cum rebus, ut falsa adseuerant Epicurei, Stoici, & alij omnes, qui opiniones falsas amplectuntur, falsa
adseuerat

adseuerat promittens pecuniam in emptione, qui cum debet, nō uult exhibere. Nemo uero mendax est sine scelere, id est, sine offensione Dei, Ideo ueritatem diximus necessariam uirtutem esse omnibus.

Secunda uirtus quæ propria est sermonis, est Comitas, quæ est facilitas in compellendo, & audiendo, seu uelle sine morositate, sine fastidijs, sine superbia, placide et compellere honestos homines, & audire præsertim eos, qui sciscitantur aliquid de doctrinis, aut exponunt causas, quas officij ratio cognosci postulat, aut quorum animi leniendi sunt, aut in dolore, aut in ira, aut alijs adfectibus, ut profuit Comitas Sansuerinati, qui cum uidisset in itinere Arabico ad se accedere prædones, statim iubet ministros deponere sarcinas & proferre cibos & lagenulas, in quibus ut ibi necesse est & aquam & uinum uehant, deinde cum aduenissent prædones, intrepide salutatur eos, ait, morem esse suæ patriæ, ut homines Nobiles inter se de Imperijs, & de re militari familiariter in conuiujs colloquantur, & multa discant, Sæpe etiam contrahant amicicias reipublicæ utiles, iudicare se etiam ipsos esse homines nobiles, & petere ut cum uiro peregrino & ductore exercituum prandeant. Mouentur etiam barbari homines illustribus signis uirtutis. Cum igitur Latrunculi audita hac oratione cogitarent eximiam in hoc uiro uirtutem esse, de equis descendunt, reuerenter salutant, assident ei in arenis &

Historia
Sansuer
natis.

A 4

simul

simul prandent. Narrat Sanseuerinas per interpre-
tens se hominem Italum esse, & commemorat quæ
sint præcipua in Europa Regna, nec Regum esse in-
finitam potestatem, sed Legibus circumscriptam, &
gradus esse hominum, distinctionem dominiorum,
& iudicia, defendi iustos contra iniurias. Bella
etiam indici & geri certis legibus. Narrat qualia
sint arma, quæ ratio oppugnandi urbes. Tandem
etiam proferri iubet ex sarcinis bombardas, arcus,
gladios, & singulis dat Xenia. Illi delectati eius or-
atione uicissim multa de suis Imperijs & bellorum
consuetudine narrant, & leti Xenia accipiunt, eumq;
post conuiuium aliquo usq; amanter comitantur. Sic
Sanseuerinatem comitas texit in magno periculo, sed
audi reliquam historiam, ut uideas quanta sit admi-
ratio uirtutis etiam in barbaris. Triduo post in soli-
tudine redeunt iidem Arabes cum maiore comitatu et
ui capiunt Sanseuerinatem cum toto agmine. Hi cum
uitæ spem omnem abiicissent, ducuntur in arcem
quandam ubi honorifice excipiuntur, & retenti tri-
duo ac donati massis auri natiui, thure & mirrha re-
ducuntur in uiam. Magnum igitur decus est Co-
mitas, sed neq; omnium hominum, neq; omnium tem-
porum est. Et quanquam in Doctoribus & governa-
toribus optanda est, tamen homo priuatus etiamsi est
tristior aut durior, non uituperatur. Ac ne potest
quidem esse Comitas sine singulari prudentia prospici-
ente qui sint compellandi, quo genere sermonis &
officij

officij animi sint excitandi, deniq; multum consilij,
artis & eruditionis hæc suauitas in congressibus po-
stulat.

Tertia est circa sermonem potius ingenij facul-
tas, quam uirtus, Sed moderatio intelligitur esse uir-
tus, Est autem reipsa ingenij celeritas figurate admo-
nens, aut reprehendens, comprobans aut refutans,
seu metaphoris, seu ironia, seu translatione causarum,
seu ambigua oratione, seu ὑπονομασία, seu apo-
logis, seu historicis exemplis, seu comicis, seu tragi-
cis, seu gnomis. Cum enim celeriter mens & præ-
ter aliorum expectationem facit collationem cum re
simili, aut transfert causas, concinnitas admirationem
parit, eaq; dicta sunt alias ioci in materia hilari, alias
aculei acerbe taxantes aliquid.

Pictura insignis fuit cum Demades ait Alexan-
dro mortuo exercitum eius similem esse Cyclopi ef-
fosso oculo. Hic peperit admirationem concinnitas in
collatione. Metaphoræ uenustæ sunt in dicto, Aliud
est Sceptrum, aliud Plectrum, & admonitio figurata
est, ne Rex iudicet de arte quam non intelligit ut ar-
tifex. Translatio causarum est de Clodij iudicio.
Num ideo præsidium poscitis, ne nummos amittatis
Usitatissimæ sunt ὑπονομασίαι, ut τὰ μίαι, λά-
μναι, Biberius pro Tiberio. Demosthenes, cum de
Oratoribus dedendis relatum est, narrauit Apologū,
in quo Lupi petunt dedi Canes. Et nota est Menenij

Oratio de membrīs humani corporis. Sunt & alle-
goricæ narrationes ad Dauidem, altera Prophetæ
Nathan, altera mulieris de Absalone. Alexander
cum ei diceretur quosdam male de eo loqui, reijcit ac-
cusationem, opposita gnome maxime conueniente
Principibus, Regium est beneficientem male audire.
Regia gnome & hæc fuit, Cum ait se alteram aurem
reuo seruaturum esse. Vis ingenij est excellens, talia
dicta uel in consilijs, uel in responsionibus gignere,
Et ingeniosi literis, historijs, exemplis, adiuuari pos-
sunt. Et sæpe profunt ad leniendos aliorum dolores,
aut ad placandos in ira. Cum Alexander Lampsacum
deleturus uideret ad se accedere Anaximenem,
ut pro patria deprecaretur, iurat se non facturum
quod petiturus esset Anaximenes, hic pergit & petit
deleteri Lampsacum. Iam religione iuramenti impedi-
ebatur Alexander, ne Lampsacum deleteret. Quantum
in obsidione oppidi Wimsberg profuit ambiguitas
Guelfo Duci Bauarico, cum concessisset Imperator
Cunradus, ut Principes foeminae ex arce discederent
sine ulla iniuria, & asportarent res quas uellent, illæ
maritos & filios Principes asportarunt. Delectatus
& consilio & pietate matronarum Imperator, ex-
cepit hospicio matronas & Principes, & pacem fe-
cit.

Cum igitur ingenij acies sine ulla dubitatione sit
opus Dei, & sæpe in grauissimis negocijs hæc consilij
celeritas profuit, ut in bellis strategemata, ualde agre-
stes

stes sunt, qui non magnificiunt hoc ingeniorum lu-
men. Sed quia multi aut prorsus stolidi nihil elegan-
ter inuenire possunt, aut sine modo ex qualibuscumq;
materijs stultorum risus & plausus captant, ideo mo-
deratio in usu talium figurarum uirtus ab Aristotele
nominatur, qui quidem & prudenter eam a stolidi-
tate, seu insulsitate, & a scurrilitate discernit. Stoli-
ditas non est decus, nisi quis hominem uelit statuæ si-
mitem esse, Sed alij multi non stolidi, sed loquaces, &
uel obsceni, uel uirulenti partim morbo naturæ, par-
tim quia sciunt populum delectari obscenis sermoni-
bus, & gubernatorum ac aliorum mediocrium homi-
num criminatione, conferunt ad questum obscenas fa-
bulas, uenenata conuicia, & calumnias, ut uidemus
non alios libros auidius emi quam illos, qui sunt uelut
αμαξαι βλασφημιῶν. Hanc petulantiam Deus &
prohibet & punit, sicut scriptum est.

Non sis calumniator in populo tuo.

Exposui de tribus uirtutibus, quæ sunt propriæ
sermonis, & sententiam Aristotelis & consilium, ac
iudico prodesse iunioribus fontes earum & gradus
considerare. Nam & eruditionis pars est intelligere
uirtutum causas, metas diuinitus constitutas, & utili-
tates, & consideratio initium est disciplina, quia fle-
xerit animos ad uirtutum amorem, & studia, ut dici-
tur, abeunt in mores. Nunc pauca addam de Pauli
dicto, qui εὐτραπελία inter uicijs annumerat.

Cum

Cum uirtus in medio uersetur inter uiciofa extrema, hæc imbecillitas nostra facile delabitur ad alterum extremum, ut seuerus est Manlius Torquatus, fit autem in filij poena crudelis. Non minor in Papyrio seueritas fuit. Is tamen Fabio Magistro Equitum parcit, & probabili ratione Legem mitigat. Quid sæpius accidit, quam ut temperantes non duri natura, peccent intemperantia. Sic in hoc studio lepida dicendi, aliqui naturæ hilaritate prouehuntur longius, & extra metas aliqui etiam hac ingenij celeritate nimium delectantur, unde hæc uetera dicta sunt. Facilius est flammam in ore retinere, quam bonum dictum. Item maluit amicum perdere, quam false dictum, Neq; tristis, neq; insulsa natura Ciceronis fuit, Sed fuerunt in eo & comitas & lepos, & tamen sine leuitate, sine futilitate, & sine scurrilitate, Sæpe igitur facete summa cum uenustate respondit, ut cum criminanti quod plures testimonio necasset, quam seruasset eloquentia, respondit præter expectationem cogitata concessione, recte inquit, quia mihi plus est fidei quam eloquentie. Quid potuit dici grauius, quia eloquentiæ prædicatio stulta est, fidei necessaria. Huius tamen uir tantum nimis amat hoc studium, multi sunt ioci in tempestiui, qui partim grauitati eius nõ conueniebant, partim uoluntates amicorum offendebant. Absuit tamen à Scurrilitate, quæ sine modo captat risus stultorum ex obscenitate, aut uirulentia, aut crudeli exprobratione calamitatum, aut inconcinna gestuum imitatione.

Huic

23.

Huic tetro uitio nomen est apud Græcos Βωμο-
λοχία ab impostoribus, qui ad frequentia sacrificia
accurrebant, & ibi seu remedia morborum, seu uati-
cinia, seu maledica carmina uenditabant, ut Monachi
circumtulerunt ossa mortuorum. Memini sacrificu-
lum qui in templo cum cōcionatus esset, preconium fe-
cerat sacrorum ossium, ac adfirmauerat neminem eo
anno pestilentia moriturum esse, qui ea osculatus esset.
Accurrit multitudo ad ossium uenerationem, cum nu-
mulis, Deinde Pastor ægre ferens impudentiam ob-
iurgat istum histrionem, qui respondet se nihil menti-
tum esse, quia osculum præberetur, non ossibus, sed
uitro. Hæ præstigiæ nihil ad facetias seu Leporem.
Sed scelerati & perniciosi ludi sunt Sycophantarum
& γοητείας contumeliosæ aduersus Deum. Hanc
ueram historiam eo recitavi, ut unde uocabulum Βω-
μόλοχοι ortum sit, iuniores ratiocinari possint, qui
simul etiam cogitent similes istius præstigiatores esse
multos, qui talibus sophismatibus manifesta scelera
nunc excusant, ut Episcopus Polonicus Osius turpif-
simam orationem Pygij defendit, qui scripsit minus
delinquere Sacerdotes mæchos, quam eos, qui caste in
coniugio uiuunt. Hæc uere sunt & Βωμολοχικά,
& scurrilia, quod nomen est à σκῶς, id est, à sterco-
re, ut in Ranis Aristophanis dicitur. Εἶτα Βόρβο-
ρον πολλὸν γὰρ σκῶς ἂν ὦν, Plurimum cœni &
stercus semper fluitans. Ac alibi inquit Aristophanes,
ὥστε μὴ γέλωμαι σκωραμίας κωμωδίας. Ne fiam
matula

O sig.

matula Comica, Sic cum uetustas sordida dicta nomi-
narit stercora, & σκωραμίδες κωμωδικαί, Po-
tius inde iudico scurras dictos esse, quam à sequendo
& currendo. Et quid sunt libri Cochlei, Pygij, Eccij,
Dominicus
Rege Soto Fabri, Hispanici Ructus, qui se Sotum nominat, & si-
miles, nisi σκωραμίδες plenæ stercorum. Non do-
cent Ecclesiam de rebus necessarijs, de proprietatibus
naturarum in filio Dei, de beneficijs eius, de uera con-
uersione, & consolatione piorum, de uera inuocatio-
ne Dei, & alijs necessarijs officijs. Querunt tantum
Sophismata ad stabilienda Idola.

Hanc commemorationem eò addidi, ut cognita
origine uocum βωμολοχίας & scurrilitatis magis
consideretur horum uiciorum turpitude, & magis
abhorreant ab eis iuniorum animi & pectora. Nec
uero dubium est Paulum, cum nominat μωρολογίαν
& εὐτραπέλιαν complexum esse, et scurrilitatem &
uicina uicia minus atrocita, futilitatem, adsentationes,
sugillationes, cauillationes, obtrecciones, ut etiam
sine atrocitate sunt hæc uanitate quadam, & ars est
alludere ad adfectus eorum, quorum aucupamur be-
neuolentiam, ut Cræsus ad Cambysen, Tunc maior
eris Cyro, cum talem filium nobis reliqueris, qualem
ille reliquit. Hæ ineptiæ non sunt raræ etiam apud
homines non malos, quæ etiamsi sunt sine scelere, ta-
men à norma ueritatis, & candoris non nihil recedunt.
Vsus est igitur Paulus molliori nomine εὐτραπέλιαν,
ut &

ut et alibi græci Scriptores nomen εὐτρεπεια non
de uirtute, sed de homine uersatili usurpant. Non ra-
ro autem peccant, qui se ad diuersorum hominū sensus
& mores inflectunt. Itaq; intelligantur apud Paulū
reprehendi uicia sermonis, nō Lepos, qui est celerrime
cogitata collatio rerum similiū, aut causarum transla-
tio, aut alia figura, ut supra dixi, non orta à uanitate
aut cupiditate nocendi, sed utilitati seruiens adhibito
modo, in admonendis alijs, aut consolandis, aut pla-
candis, aut excitandis, ut postulat occasio. Hæc inge-
nij celeritas uere Dei opus est, & eruditione instru-
enda est. Talis est lepos Cananeæ mulieris in refu-
tatione asperrimi dicti, Non decet filiorum panem ca-
nibus dare. Illa contra celerrime addit Regulæ exce-
ptionem. Adsentior, inquit, sed tamen & catelli fru-
untur micis, quæ decidunt de mensis filiorum. Cogi-
tet hic Lector eruditus, quanta sapientia in hoc breui
dicto contineatur, Fatetur se catellam & indignam
esse beneficijs Dei, nec fugit tamen quanquam fulmen
non leue aduersus eam uibratum erat, Sed scit micas
Euangelij etiam ad Gentes peruenire, Scit recipi se
propter hunc Dominum, non propter Legem, uelle
Deum coli, non fuga, non fremitu aduersus ipsum, Sed
confessione nostræ miseriæ, & fiducia misericordæ.
Hanc amplissimam sapientiam figuris uenustissimis,
& imagine incurrente in oculos pingit cum callam,
mensam, filios, micas nominat. Quantus lepos est in
Samsonis enigmate? Hæc & similia exempla iunio-
res intua-

res intueantur, & discant intelligere uirtutum gra-
dus, quæ sint necessariae, & quæ sint ornamenta ex-
cellentium ingeniorum, & quomodo literis, cogniti-
one historiarum, uarietate artium, imitatione pru-
dentum, circumspectione, natura iuuanda sit. Et uta-
mur donis Dei ad ipsum celebrandum, & ad commu-
nem consociationem, in qua uult uirtutum officia luce-
re, ut agnoscamus eum & adesse generi humano, &
suam sapientiam & suas uirtutes morigeris & inuo-
cantibus ipsum cōmunicare. Bene uale Matthæe ca-
rissime, Anno 1555. In Pasce, quod fuit ab exi-
tu Israelitarum ex Aegypto Pasca 3064.

Tam diu cum seruauerit Ecclesiam filius
Dei, speremus & deinceps seruatu-
rum esse, & ueris gemitibus
eum precemur, ut semper
in his regionibus eter-
nam Ecclesiam sibi
colligat.

DE arte



DE ARTE IOCANDI,

LIBER PRIMVS.

SI quis in hac artem non nouerit urbe iocandi,
Me legat, & lepidos discat amare iocos.

Arte, palestritis ueniunt in corpora uires,

Longaq; non forti mittitur hasta manu.

Arte (quod ipsa prius uetuit natura creatrix)

Currit in equoreis picta carina uadis

Hæc nisi perpoliat, rudis est natura, decusq;

Amittens, subito degenerare potest

Laude quidem dignos (quis .n. neget) esse fatemur,

Te quibus crudijt docta Minerua iocos.

Et quos ingenij foelix tibi dictat acumen,

Pectoraq; Idalijs candidiora rosis.

Dispereant arti tribuentes omnia, qui non

Naturæ dotes nobilitate probant.

Sed quia, quod uerè sit ab omni parte beatum,

Rebus in humanis credimus esse nihil:

Arte opus est illis etiam, qui dote beati

Naturæ, ingenij dexteritate ualent

Adde, quod ut ueterem non omnibus ire Corinthum

Contigit, & superas scandere posse domos:

Sic certè ingenij non omnibus omnia dona

Contulit, aut cunctis æqua Minerua fuit,

Ergone tentandum nihil est, mutanda uoluntas,

Et studij cura est abijcienda tui?

B

Non ita,

*Nihil beatum
in humana
rebus ab omni
parte*

DE ARTE IOCANDI,

Non ita, sed doctam facilemque ad quaelibet artem
Consule, non nimium, qui ualet arte, ualet.

Hoc quoque ab arte petes, qua sit ratione iocandum,
Quaque uia incedas, me duce, certus eris.

Ferte pedem Charites, hic aspirate canenti,
Vos eritis scripti pars quotacumque mei.

Conuenit hoc uobis studium, salibusque iocisque,
Oci ludendis non inhonesta sequi.

Inde quod est ratio, quod Regula certa iocandi,
Acceptum uobis queneque referre decet.

Vos dictate precor teneris praecepta Camoenis,
Quae passim ingenuo sint adhibenda ioco.

Sic quoque uester honos nec inani gloria fuco
Crescet, et hoc aliquod nomen habebit opus.

Nunc bibulo nostram soluemus littore puppem,
Et dabimus rapidis flaccida uela Nothis.

Principio geminos omnes adhibentur ad usus,
Docta quibus Charitum est lingua probata, ioci.

Est prior in toto positus sermone loquentis,
Et bene si spectes latius ille patet.

Nam quoties aliquis tibi conueniendus amicus,
Cui mens alloquio est dura mouenda tuo,

Et quoties placandus erit sermonibus aptis,
Quem longa offensum reddidit ira tibi:

— " Multum uerba ualent grato condita lepore,

— " His rigidos animos in tua uota trahes.

TUM

LIBER PRIMVS.

Tum quoties cœnam conuiuia uocatus ad amplam,

Ridiculis uerbis exhilarandus erit,

Quid precor absq; iocis, (namq; hoc te iudice dicã)

Læticiæ uobis cœna peracta dabit?

Multa quidem ridenda dabunt scurrilia dicta,

Multa inhonesta dabunt, nulla faceta dabunt.

Sed placidæ Musæ conuiuia casta requirunt, ——— "

Et studij cupidos non nisi honesta decent.

Ergo quibus possit salibus tua lingua probari,

Ex hoc si cupias discere fonte potes.

Hæc prior in sese, quem dixi, continet usus,

Hæc prior utilitas inde petenda tibi est.

Alter inest scriptis, & cum sit rarior idem,

Postremum in uersu debet habere locum.

Siue aliquis noto cupiat dare scripta sodali,

Ornamenta statim quæ cupit, inde capit.

Siue foras quisquam sit publica scripta daturus,

Hinc addet scriptis docta parerga suis.

— " Scripta sed ingenio cuiusuis apta parare,

— " Non est cuiusuis pectoris illud opus.

Non datur ad faciles cuiuis percurrere Musas,

Nec leue, Parnassi scandere posse domos.

Crebrior est usus, cum scribit amicus amico,

Et mittit digitis uerba notata suis.

— " Litera lecta placet, si timeta leporibus illa est,

— " Et placet et pariter corda mouere potest.

DE ARTE IOEANDI,

Hæc ita, si numeres, duo sunt, quibus omnis inhaeret
De quo præcipiet nostra Thalia, iocus.
Qua ratione queas sermone facetus haberi,
Hæc nostro cursu prima terenda rota est.
Hic breuibus præcepta tibi uulgaria dictis,
Sed tamen haud quaquam prætereunda dabo.
Sunt imitanda prius doctorum exempla uirorum,
Qui lepidis salibus nocte dieq; student.
Et quibus ingenium mite, atq; leporibus aptum,
Compositumq; iocis, docta Thalia dedit.
Istorum cupide tibi consuetudo tenenda est,
Verbaq; sunt animo cuncta notanda tuo.
Inde iocosa leges, (nec enim confundere tutum est)
Alterius (moneo) seria classis erunt.
Hæc ubi sint retinenda, tibi non sponte patebunt
Omnia, sunt oculis perspicienda tuis.
Dissimiles Cantor discernit tempore uoces,
Et uarios longa iudicat arte sonos.
Pictor, ut in tabulis uitium cognoscere possit,
Assequitur studij sedulitate sui.
Tu quoq; , si studij non illius ante pigebit,
Quam decet, exiguo tempore doctus eris.
Seria quæq; suo, ioca quælibet, ordine pones,
Nec te iudicium fallat, ut ante, tuum.
Quæ tamen ut firma tibi perstet opinio mente,
Iudicio uulgi ne moueare, caue.

Abijciendæ

LIBER PRIMVS.

Abijcienda procul stolidi sententia uulgi,

Cuius iudicijs maximus error inest.

Scilicet hic dicet, studium quid inutile tentas,

Quæue superuacui meta laboris erit.

Disce quod ignoras, didicisse quod antea notum est,

Propositum finem non habet iste labor.

Iudicio poteris facili discernere uerba,

Verba uel à Pythio si qua profecta Deo.

Talibus obiectis, quæ sunt sine pondere rerum,

Dicere si contra, pauca sed apta uelis.

Fallere, dic, animo, salibus si uerba recepta,

Aptaq; colloquio quælibet esse putas.

Proxima sunt mala uerba bonis, obscœna facetis,

Quam facile est causas error ut inde trahat?

Hæc refer, ac ipsum ne te tua culpa docentem

Arguat, ut possit crimen abesse, uide.

Disce quibus uerbis iocus hæreat optimus, & quo

Ordine sint istæ distribuenda tibi.

Nam tibi non una dici ratione tenendum est,

Et non unius nominis esse iocos.

Est alius pulcher teneroq; lepore probatus,

Est alius turpi garrulitate leuis.

Maior in obscœno est ubertas, copia maior,

Omniaq; hic cornu liberiore fluunt.

Littora quot conchas, nitidum quot sydera Cœlum,

Quot uagus in sese flumina pontus habet.

B 3

Quot

Multicolores ioc

DE ARTE IOCANDI,

Quot campus flores, tot sunt, quos crimine damnat
Ars mea, ridiculi garrulitate ioci.

— " Semper enim numero pugnant uiciosa, nec illis
Ordo quidem certus, nec modus ullus adest.

= Scilicet uberius uiciorum semina crescunt,
Et uarijs florent pessima quæq; locis.

Tu lepidos discerne iocos à turpibus, illos
Quilibet è doctis, hos rude uulgus amat.

Nam sine iudicio turpissima quælibet illi
Scemmata, et inprimis, garrula lingua placet.

= Laudibus hunc stolidi uarijs ad sidera tollunt,
Pectore qui multum futilitatis habet.

Hunc audire iuuat, iuuat obseruare loquentem,
Sic neq; quod uitium est, laudis honore car et.

Et quis enim dubitat? Laus est meliora probare,
Omnibus at studio est deteriora sequi.

Hæc animis hominum nunquam quæsitæ recurrunt,
Cultoremq; suum fertilitate tenent.

Nam quis erit quem non etiam fecere disertum,
Facundus uitijs, quilibet esse potest.

Scilicet obscænus quæ dicat multa iocator,
Sponte fluens illi garrula lingua dabit.

Et uarios risus facili ratione mouebit,
Aures obtundet garrulitate tuas.

Sed, quodcunq; mouet risus sine pondere uerbum,
Fallere, si lepidum credis id esse iocum,

Singula

LIBER PRIMVS.

Singula ridemus Morionis uerba loquentis,

Quis tamen hæc pulchros dixerit esse sales? — "

Non est iudicium, non sunt ea signa Leporis,

Nec tantum risus uerba iocosa probat.

Suauis, & illa nouem quæ digna est gratia Musis.

Symbolon est lepidi, qui ualet arte, ioci.

Hoc equidem non est ullis mutabile seclis,

At solido semper firmitus ære manet.

Cætera, quæ certis non sunt iocularia signis

Cognita, pro uario tempore nomen habent.

Nunc odium, nunc rusticitas, amor, impietasq;

Symbola scurrilis sunt uariata ioci.

Vnius hæc generis sunt omnia, multa supersunt,

Quæ non ingenio sunt patefacta meo.

Omnia non possum breuibus perstringere uerbis.

Nec tantum numerum nostra tabella capit.

Nam memorem uel qua deceant ratione lepores,

Fama quibus lædi non inhonesta solet.

Hos aliqui pulchra specie ad conuicia torquent,

Atq; sibi lingua liberiore placent.

Hos quoq; scurriles dices, in eoq; locabis

Ordine, qui doctis non imitandus erit.

Quid moror in paruis, uitium in maioribus hæret,

Fœcundum uitium quodlibet esse solet.

Est iocus, in totum quem plenum Colchidos herba,

Ex re Sarcasmm Græcia docta uocat.

B 4

Ille

Error faci
dus

DE ARTE IOCANDI,

Ille odijs flagrat, fellisq; expirat odores,
Et uarijs uaria conditione nocet,
Hoc alij taxant alios, & crimina multis
Obijciunt, Momum nec dubitanter agunt.
Hoc quoq; saluificum cupiens eludere Christum,
Utitur obscœni turba prophana gregis.
Hunc, Epicurei chorus ordinis, atq; Tyranni,
Et qui Plutonis castra sequuntur, amant.
Impia talis erant damnati uerba latronis,
Verba quibus Christus ludificatus homo est.
Turba Papistarum studiose imitatur eundem,
Erudijt mentem quilibet inde suam.
Nil nisi de Christo iocularia uerba loquuntur,
Quotquot adhuc Papam numinis instar habet.
Et tamen argutos iuuat appellare lepores,
Sic speciem quandam nobilitatis habent.
Scilicet & titulis uitium, & uirtutis honore
Gaudet, & eximia nomina laudis amat.
Atq; ita quod non est, falso contendit haberi,
Hei mihi uirtuti res ea sepe nocet.
Nam sic decipitur specie mens ipsa decori,
Quod decus interdum non leue fucus habet.
Tam mala sunt uicina bonis, Sic sepe putantur
Optima, quæ nullo tempore labe carent.
Nam quoties uiolis uicina urtica reperta est,
Pro nitidis quoties carpitur illa rosis.

Sic quoq;

Papa

connumero

sus in O. l. m.

§

LIBER PRIMVS.

Sic quoq; uirtutem uitium comitatur, & illa
Virtuti nimium proximitate nocet.

Hic equidem, pulchro ne decipiare colore,
Esse oculo plusquam te uigilante decet.

Non ea te fallant quæ sunt speciosa, nec unquam
Decipiat mentem blanda loquela tuam.

Nec moueat, quod saepe iocis scurrilibus illis,
Applaudit uarijs turba inhonesta modis.

Obscœnos obscœna decent, sua quæq; uoluptas *Marcellus*
Ducit, & immemorem non sinit esse sui. *in ariet.*

Res probat artificem, Sic rem probat autor, & illa *opus con*
Si ualet, artificem posse ualere puta. *mendare*

Nulla bonos arbor poterit producere fructus, *magistr.*
Si mala, sed fructu quæ ualet, illa ualet.

Ergo sales odij plenos uitare memento, *Nulla arbor*
Talis & authores non imitere ioci. *mala ferre*

Dixeris hic aliquis, si non imitanda, quid ergo *nos ferimus*
Tradis, an hic forsitan perdere uerba leue est?

Desine mirari, uitij fit cognita uirtus. *Uirtus cognoscitur*
Fitq; per oppositum notior illa suum. *uitij*

Sic ubi cognoris uitium, quod in arte iocandi
Additur, à falsa turpibus arte uiris,

Parte ferè media teneri præcepta leporis,
Et quæ sunt prima parte tenenda, tenes.

Strictius illa licet potuissent omnia tradi,
Totaq; præscribi res breuiore modo.

B 5

Nam

DE ARTE IOCANDI

Nam quibus utendum sit ei, cui Musa placebit,
Hæc præcepta damus, non peregrina damus.
Doctus apud doctum iuuenis sic esse facetus
Posset, & ingenio ludere digna suo.
Sed tamen, ut nunquam ratio hæc mutetur, et ordo,
Credere quod fieri possit, inane puro
Cum rudibus, cum non doctis quandoq; iocandū est.
Hinc etiam laudem forte aliquando feres.
Casus in euentu tamen est, ita rarius illud,
Te facere, & magis hic abstinuisse uelim.
Aut aptare iocos istorum moribus omnes,
Sive inhonesta illis, sive faceta placent.
Iam quid agis? alicui, prorsus contraria dicis,
Incipit in uerbis maxima pugna tuis.
Obscenos uitare iocos, inhonestaq; uerba,
Nunc obscœna tamen rursus imitanda doces.
Atq; tuam prodis mutatis uersibus artem,
Cur non quod cœpit Musa tuetur opus?
Non ita, sed falso iuuenis me crimine damnas,
Consilij ratio non fuit illa mei.
Trado ego, post etiam tradam præcepta iocandi,
A uitijis carmen debet abesse meum.
Qui ludit quoscunq; sales, dulcesq; lepores,
Recte agit, & rectis ambulat ille uijs.
Non tamen hoc uitium est aliquando leuissima uerba
Dicere, sed uitium est, si mala uerba probes.

Quis

LIBER PRIMVS.

Quis uocet audacem? qui uerba audacia profert,
Quis bellatorem? qui fera bella canit.
Quis timidum? subiti qui dicit uerba timoris,
Quis, stolidum si quis nominet, inde uocet
Semper scurrilem, scurrilem nomine dicas,
Qui leuis est semper, dicitur ille leuis.
Obscenos, stolidos, turpes, uanosq; lepores,
Omnibus in rebus qui probat, ille probat.
Carmine te nostro satis hæc didicisse putamus,
Et non est magnus discere posse labor.
Sponte patet cuius ratio uitiosa iocandi,
Et non obscuras res habet ista notas.
Iudicio est facili uitium cognoscere cunctis,
Qui cupit ad uitium currere, lata uia est,
Sed nõ sponte patent quæ sunt bona, & absq; labore,
Nam uirtus magno parua labore uenit. ¶
Et quæcunq; ualent, quæ sunt pulcherrima in orbe,
Difficiles aditus semper habere solent.
Quos, quia docta potest faciles tibi reddere Musa,
Musa animo semper sit ueneranda tuo.
Disce bonas artes, mitescunt pectora ab illis,
Artibus ingenuus quilibet esse potest.
His aditus patet ad nostram quam tradimus artem,
His tibi nota uia est, his tibi plana uia est.
Nec poteris doctè certa ratione iocari,
Si forte illorum destituaris ope.

Nana

DE ARTE IOCANDI,

Nam qui non doctas animum excoluere per artes,
illi Cecropios non didicere sales.
Non didicere quidem, certū est, nec discere possunt.
Quamuis nonnunquam se didicisse putant.
Et licet interdum uerbis ridenda loquantur,
Nusquam est, si spectes singula, mica salis.
Turpibus inuoluunt dictis, quæcunque loquuntur.
Atq; iocos sola garrulitate probant.
His ego si cupiam certas præscribere leges,
Iure equidem cerebri dicar habere parum.
Quod prodest porcis nitidas ostendere gemmas,
Quod cumulare iouis fluctibus Albis aquas:
Hoc ipsum prodest, illis præcepta iocandi
Tradere, qui sanctas non coluere Deas.
Perpetuo salibus placeant sibi turpibus illi,
Et leuibus stulta garrulitate iocis.
De quibus ut uitium certo cognoscere possis
Diximus, & ratio iam patet illa tibi,
Nunc ea quæ placidas deceant iocularia Musas,
Dicam ex proposito conditione mei.
Scilicet argutis in uocibus optima laus est,
Verbaq; nonnullis ingeniosa placent.
Salsaq; delectant, sunt insperata mouendo
Pectore, si uideas, omnibus apta iocis.
Sepe suis ornata modis: quæ dicta loquendo
Finguntur, uaria conditione ualent.

De quibus

LIBER PRIMVS.

De quibus hæc monuit tantum mea Musa legentem,

Pauca ea sufficiant, & monuisse sat est.

Hæc tibi sunt longum potius discenda per usum,

Disce per exemplum, sponte peritus eris.

Disce tamen magno non dediscenda labore,

Disce sed à doctis, tu quoq; doctus eris.

Quæ perfecta putes, exemplis fidere tutum est,

Optima quæq; prius sunt imitanda tibi.

Si quis erit forsitan nulla ratione facetus,

Qua melius fugias arte, docendus eris

Sæpe refer tecum, quam sit scurrile locutus,

Et pone ante oculos singula uerba tuos.

Illud, & illud, habet uitij, multa impia dixit,

Multa supercilio non patienda graui.

Nil habet eximium, nulla est ex parte facetus,

Non leuitate animus, non feritate caret.

Hæc refer, hinc illum cautè uitare memento,

Hinc odio dignum quolibet esse puta.

Non mirere hominem, non cōmoda uerba loquentis,

Tu mihi (dic) certe non imitandus eris.

Nec te decipiat, species non fallat honesti,

Quiq; aliquando decus non leue fucus habet.

Scilicet ut sapiens uideatur, & optimus, ille,

Efficit, in totum qui ratione caret.

Ille ita magnificis meretricem uestibus ornat,

Vt falso dici forsitan honesta queat.

Exempla perfecta esse oportet

Ex stua

DE ARTE IOCANDI,

Ex stupido placidum Regem facit ille bubulco,
Fœmina quæ certo est, uirgo sit ille facit.

Deniq; Tænarius num decipit omnia fucus,

Fallere quem quæso non color ille potest?

*Constantia
uæ magna
uirtus*

Tu tibi fac constes, multum constantia prodest,

Omnibus à uitijs hac duce tutus eris.

Siue aliquis tibi laudarit, quem laude putabis

Indignum, & dicet, Fac imitere uirum.

Firma tibi stet non dubia sententia mente,

Persuasus uerbis ne capiare, uide.

Siue aliquis fortè immerito reprehenderit illum,

Quem ueris dignum laudibus esse scias.

Laudibus est dignus, perstet sententia firma,

Et fac ne cedant uerba aliena tuis.

Sic neq; quæ splendent peregrino tincta colore,

Nec mentem fallat res speciosa tuam.

Hæc ubi cognoris, nec enim cognosse pudebit,

Quid salibus possis experiare licet.

Experimenta docent, & cuncta per illa probantur,

Ante oculos semper stant manifesta tuos.

Fallere non possunt, sed demonstrata relinquunt

Singula, iudicio quæq; notanda tuo.

Ac uelut aurifaber fuluum probat ignibus aurum,

Imponens calidis frustra cremanda focis.

Sic quascunq; artes certo experientia signo,

Has probat esse bonas, has probat esse malas.

Tu quoq;

LIBER PRIMVS.

Tu quoq; quid possis, quid desit in arte iocandi,
Scilicet experiens omnia, certus eris.

Addiscenda quidem prebebit plurima tempus,
Emendanda tibi quaelibet hora dabit.

Quotidie melior ratio tibi sponte patebit,
Et studio accedet pars quotacumq; tuo.

Mutua nanq; dies docet, & se corrigit ultro,
Ipsius illa etiam docta magistra sua est.

Iamq; ubi ridiculis fortasse iocabere dictis,
Et socijs dices uerba faceta tuis:

Præcipue est pulchri ratio tibi habenda decori,
Semper honestatis te meminisse decet.

Semper honestatis, semper meminisse decori,
Dicere siue uelis seria, siue iocos.

Nam licet hæc possint forsitan contraria dici,
Neutrum sermoni debet abesse tuo.

Hæc coniuncta placent, & tu coniungere noris,
Delectant lepidis seria mixta iocis.

Qui grauis est semper, nimio qui laudis honore
Ponderat extollens seria, crimen habet.

Sic uitium est, salibus nimis indulgere iocisq;
Nec nisi perpetuò uerba iocosa loqui.

Non decet hæc teneras effusa licentia Musas,
Contemptum studij res habet illa tui.

Seria contineant (sed si permittat honestum)
Addita, ceu passim sparsa, parerga iocis.

Non

DE ARTE IOCANDI,

Non alios carpant, sed sint sine morsibus illi,
Non habeant odij semina tecta tui.

Temporibus uariant, uariant ratione locorum,
Hic ego te fieri Prothea posse uelim.

Si tibi cum latis, si cum lugente iocandum est,
Non uno fieri debet utrunq; modo.

Nanq; ea sollicito quæ sunt astricta dolore,
Pectora, Cecropijs sunt inimica iocis.

Scilicet hæc ratio pugnantia fecit, utrunq;
In rebus proprium iussit habere locum.

Ergo simultates, odium, nec rarius iram,
Nata ex Cecropijs uidimus esse iocis.

Sicut et herba etiam, si quis bene nesciat uti,
Sæpe eadem prodest, sæpe eademq; nocet.

Dic mihi cum salibus quæ conuenientia luctus?
Conueniat rapidis sic quoq; ouile lupis.

Crede mihi, nam certa fides, res ipsa probata est,
Mœrorem ex salibus crescere posse tuis.

Nempe aliquis iustum qui perfert corde dolorem.
Ludibrio forsân se putet esse tibi.

Et siue illa tuæ duræ sententia mentis,
Siue loco forsân suspitionis erit.

Te tamen inuisum post illud semper habebit,
Et capiti optabit tristia multa tuo.

Hæc uitare decet mala, ne moueatur ad iram,
Aut te tale aliquod crimen habere putet.

Ergo

LIBER PRIMVS.

Ergo iocis, ubi tristis adest, uel parcius uti,
Vel potius risus continuisse decet.
Si tamen est illi mitis natura, nec illam
Vrit adhuc ardens asperitate dolor:
Proderit ad curas animi luctumq; fugandum,
Ingenuos illi parcè adhibere sales.
Sin minus & uerbis acrem lenire dolorem
Non licet, in primis abstinuisse uelim.
Talia quæ præsens & tempus & hora monebit,
Consilium est cautè uelle notare meum.
Scilicet hæc uariè uarias mutantur in horas,
Et retinent miras dissimilesq; uices.
Non status est idem rerum, neq; semper in una
Qualibet, aut simili conditione manent.
Omnia dependent tenui mortalia filo,
Perpetuo nulli sors satis æqua manet.
Gaudia non semper, non semper uerna manebunt
Tempora, post paucos nubila facta dies.
Nunc tibi tristitiam uario ex discrimine rerum,
Nunc aliud tempus gaudia multa dabit.
Nunc aliud dabit officium, uariosq; labores,
Nunc aliud rursum quod mediteris opus.
His aptanda tua est ratio diuersa iocandi,
Flectenda in multos & uarianda modos.
Nec decet in causis ulla ratione iocari
Consilijsq; hominum, quæ graue pondus habent.

*Non idem
Status semp*

*Non semp
gaudia*

C

Hic po

DE ARTE IOCANDI,

Hic potior grauitas, magis his sapientia rebus

Conuenit, hic risum te cohibere decet,

Sacra Deo quicumq; facit, meminisse iocorum

Si uelit, à leso numine crimen habet.

Hec moneo exemplis tantum, sexcenta supersunt

Que iam sunt uersu pratercunda meo.

Nam mihi si uoces atq; ora sonantia centum,

Si uel mille queat lingua referre sonos:

Omnia non possem uersu pertexere nostro,

Nec sterilis tantum Musa si biret onus.

*Tempus
omnia
uariat*

Sic uariat tempus, sic omnia tempore cedunt,

Sic etiam moneo tempora cuncta notes.

Nec locus est idem, terra non semper in una

Viuitur, hoc etenim uiuere turpe putant.

*Latere do
mi diu
po psl*

Te non perpetuò credas sine crimine magno

Posse domi ad patrios delituisse focos,

Sisyphides fama celebris non esset Vlysses,

Nec tam clara uiris insula Graia foret:

Si non tot populos, quondam uidisset & urbes,

Errans in uasto tempora longa mari.

Si non Alcides passim tot monstra necasset,

Forte suo minimè notior esset auo.

Ergo tot exemplis motus, si inuisere tentes,

Diversis forsan dis sita regna plagis:

Nosse hominum mores, uitam, studiumq; fidemq;

Nosse quibus facile mens capienda modis.

Ex stu=

LIBER PRIMVS.

Ex studijs aduerte animos, signisq; loquendi,

Ex uerbis etiam signa aliquando petes.

Inde tuos aptare iocos, aptare lepores

Noris, & ingenium fingere posse tuum.

Si fueris Romæ, consuescas moribus urbis,

Sæpe animum tibi sunt iura datura nouum.

Et quascunq; alias uenies peregrinus in oras,

Vna eadem maneat Regula firma tibi.

Proderit &, qualis persona sit ipsa, uidere,

Dicere cui deceat uerba iocosa Viro.

Disce quibus iuuenes salibus capiantur, & illi

Tempore quos canos longa senectæ facit,

Disce quid edoctis placeat cognoscere dignum,

Disce quibus salibus mens erit apta capi.

Deniq; quid placeat semper seruato, nec unquam

Omnia quæ debes te didicisse puta.

Quæ deceat Regem uestis, quæ forma potentem

~~Vsu perpetuo pictor, & arte tenet:~~

Cuiq; suos homini nouit tribuisse colores,

Non similes uestes Cræsus & Irus habent:

Sic quoscunq; iocos quæuis persona requirat,

Hæc sunt ingenio præmeditanda tuo:

Nunc tibi cum noto nunc hospite sæpe iocandum,

Crede mihi simili non ubicunq; modo.

Quoslibet ille sales laudat, licet autor eorum

Si quid inest uitij dissimulare cupit.

*Si fueris R
mæ Romam
uiuio more*

*Pictor no
me qui m
uultis hoc
am Regæ*

DE ARTE IOCANDI,

Hic licet interdum patulas tibi præbeat aures,

Et dicat, lepidus certè erat iste iocus:

Non tamen his satis est tutum considerare dictis,

Hæc leuitas nullo fine probata fuit.

Verba quid esse putas stolidæ nisi murmura lingue,

*serba dei
primi mul
lus*

Vocalemq; hominis qui uenit ore sonum?

Verba nitore suo fallunt hominesq; Deosq;

Et non sunt uno suscipienda modo.

Hæc feriunt patulas concinnis uocibus aures,

Et rapiunt animos ad sua iussa leues:

Non ea te fallant subito, quia fallere possunt,

De fuco tali uerba priora nota.

Si peregrinus adest, debet pudibundus & aptus,

Conueniensq; hominis moribus esse iocus,

Non leuis aut petulans, non ullis uocibus audax,

Qualis sæpe animo liberiore uenit.

Quàm potes in melius totam deflecte loquelam,

Iudicium discas fallere posse tuum.

Si rudis est, rudit as non sit tibi causa iocandi,

Si timidus, non sit turgidus inde iocus:

Sed moneo, si quis fuerit peregrinus, an idem

Ingenua cultus sit quoq; ab arte, uide:

Si fuerit, certa poteris ratione iocari,

Ac uelut ad socios uerba iocosa loqui,

Namq; hominum prodest tibi conciliare fauorem,

*Natura con
ciliatrix*

Sic natura homines conciliare docet

Sim mia

LIBER PRIMVS.

Si minus, abstineas, & sit tibi magna iocari.

Religio, sapiens inde putandus eris.

Nam cui non doctas mens est exculta per artes,

Hunc merito rabidam dixeris esse feram:

Ille iocos, ut contemnit, sic omnia dicta

Perdis, & in uerbo est gratia nulla tuo:

Non illi præcepta damus, rudiore Minerua

Non nostris numeris erudiendus erit.

Cui placet, & cordi est natiuus splendor honesti,

Me legat, & lecto carmine doctus erit.

Nec sibi, quod leuiora canam, quasi uana putentur,

Præceptis credat non opus esse meis:

Parua quidem & tenui de stirpe profecta fatemur,

Illam fucere prius præcipienda mihi.

Tu quia parua etiam discendi tempore profunt,

Esse aliquid saltem carmina nostra puta.

Iudicioq; tuo licet hæc leuiora putentur,

Forte tamen fructus nonnihil inde feres.

Tempus erit certè quo te meminisse iuuabit,

Et dices, hæc me non didicisse pudet.

Nunquid ab exiguis bene si cumuletur in unum,

Magna etiam additio quotidiana facit?

Quod si nostra minus, quæ dico, ualere putabis,

Inq; animo nequeunt pondus habere tuo:

Quando cupis paruis summa affectare relictis,

Icarij casus te meminisse decet.

*Quia non est
infulatus n
ar ubi non
homo sed f
ra for*

*parua cum
lala in unum
facium al
num am do*

DE ARTE IOCANDI,

Sic tenues forsā non aspernabere Musas,
Et quæ de fundo paupere dona damus.
Fallor? an ista tuam subit hic persuasio mentem,
Omnibus ut primum parua tenenda putes?
Certe equidem non uana tuæ est sententia menti,
Scilicet expertus quæ facis, illa facis.
Nunc nostræ pars una uic pars prima peracta est,
Hic teneat calamum nostra Thalia suum.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SE-



DE ARTE IOCANDI,
LIBER SECVNDVS.

Rursus ades nostro iam, non inuita, labori
Carminis Euphrosine pars quotacumq; mei,
Nunc magis audaci tentabimus æquora cursu,
Ibit & in medijs nostra carina uadis,
Perge etiam iuuenis ueloci insistere remo,
Et nihil obsistat quod remoretur iter.
Non te poeniteat studijs, pudeatue laboris,
Disce animum studio uincere posse tuum.
Doctorum studiij nullum pudet antè uirorum,
Ultima quam summum finiat hora diem.
Est illi didicisse animus cum plurima norit,
Cur ita? Quod semper discere possit habet.
Et te poeniteat? Cui flos tener ille iuuentæ
Floret, & est nulla barba resecta manu?
Si sapis, adpropere, cœptoq; insiste labori,
Crede mihi ex illo comoda multa ferēs,
Nec, quia prima tenes & parua Elementa iocandi,
Omnia perfectè te didicisse putes,
Umbra tibi uisa est & non nisi imago leporis,
Sed quæ digna tamen cognitione fuit,
Nunc tibi quærendi fontes, animoq; notandi,
Crede mihi dulces inde bibuntur aquæ.
Nulla suis sine principijs sine origine certa est
Cognita, nec causis res caret ulla suis.

Adhortatio
ad imp
mbo.

Nihil sine
principio.

DE ARTE IOCANDI,

Quis benè qui potuit proprijs cognoscere signis,
Iudicio foelix dicitur ille meo.

Hæc quoq; proueniunt de fontibus omnia certis,
Quæ tibi iam lector nostra Thalia dabit,

N. S. ad us. Sunt ea limitibus certis inclusa modisq;

In quibus & fines contineantur habent,
Quos ultra & citrà, nunquam consistere possunt.

His etenim lepidi stantq; caduntq; ioci,
Sunt gemini fontes, duplex & origo leporum,

Omnes stant duplici conditione sales,
Scilicet aut rebus uarie nascuntur ab ipsis,

Aut bene fingendi nominis arte ualent,
Omnibus his uti uaria ratione licebit,

Sed tamen unius maximus usus erit,
Sæpe quidem poteris de te permulta iocari,

De rebus dicens multa faceta tuis.
Hic tibi cum pulchrè tu sis tibi cognitus ipsi,

Præceptis statuo non opus esse meis,
Nam uitæ & fortuna tuæ, studiumq; laborq;

Quæ dicas quouis tempore, multa dabunt,
Id moneo tantum, De te quæcumq; loqueris,

Orna simplicibus singula uerba iocis,
Ne (quod iam multi faciunt) uideare iocando,

Egregias laudes attribuisse tibi.

Quinetiam de te parce decet, ipse ioceris,
Inq; tuo semper nomine parcus eris,

Et sã.

LIBER SECVNDVS.

Et si non rerum sit mentio facta tuarum,
Te quoq; posse uelim non meminisse tui.
Quod si fortè aliquis dubitans tua nomina quærat,
Fortunæq; uelit certior esse tuæ,
Quærenti placide uerbis occurre facietis,
Ut tamen his uerbis certior esse queat,
Omnia sic dicas, ne sis contemptior ulli,
Neue alijs multò dignior esse uelis,
Scilicet hic laus est posse inter utrunq; manere.
Quod medium est, nunquam non solet esse bonum,
Tu quoq; perpetuo medium tenuisse studebis,
Sic poterit salibus crimen abesse tuis,
Sic poteris de te nunquam sine laude iocari,
Sic poteris lepidis nomen habere iocis,
Verum ubi propones alios tibi, de quibus ausis,
Cum placet, interdum uerba iocosa loqui,
Longe alijs te posse opus est rationibus uti,
Hic uia nunc alia est aggredienda tibi,
Multa quidem sunt de multis iocularia dicta,
Deq; alio quouis dicere multa potest.
Sed quam difficile est summam uirtutis ad arcem,
Quàm graue in æthereas scandere posse domos.
Tam minime hic facile est, odium uitare iocanti,
Et salibus nulli displicuisse tuis,
Hoc opus hic labor est, certas præscribere leges,
Non capit incertos nostra tabella modos.

*Medium
optimum*

*Aliquis potest
de alio multo
Cul. p*

*Hic opus
hic labor
noe*

Varia meles
hominum DE ARTE IOCANDI,

Mille hominum species, animorum mira uoluntas,

Quotq; homines totidem pectora semper erunt.

Quis dabit exiguo præcepta inclusa libello?

Vt nihil hic sese præterisse putet?

Vix ea præstiterint Musa, uix augur Apollo,

Vix tu carminibus Naso Poëta tuis,

Quo magis agnoscens, quam sit mihi curta supellex,

Impar opus fateor uiribus esse meis,

Cur igitur (dices) teutas præcepta iocandi

Scribere? tam uanum quid meditaris opus?

Desine, non equidem nostra est hæc culpa nec artis,

Nec mea (quod dicis) carmina crimen habent.

Inno sancta

hominum

Humanæ in culpa est dubiæ inconstantia mentis,

Quæ non ut debet constat ubiq; sibi.

Ille iocos de se dictos probat, ille superbe

Culpat, & in peius singula uerba rapit.

Quæ quia mutari nequeunt, damnabimus artem?

Dicemusq; omnes crimen habere iocos?

Non ita, nec uisum est illis, quibus ordine certo,

Hanc artem primum cura docere fuit,

Quos quia nos sequimur, quia nõ pudet esse sequutos,

Iam dabimus leges hic quoq; ut antè tibi.

Primo igitur, de quo possis, liceatq; iocari,

Perspice, delectus semper habendus erit.

NB.

Noli cum

et plures

Elige non falsos quibus es coniunctus amicos,

Semper ab ignotis abstinuisse uelis.

Si tamen

LIBER SECVNDVS.

Si tamen ignotus lepida te uoce laceffat, *Coeratio*

Ne timido credat pectore, redde uicem.

Parq; pari referens, dicas quod mordeat ipsum,

Hoc licet, hoc etiam res aliquando iubet.

Interdum siluisse decet, nocet esse iocatum, &

Parq; pari, minime, uelle referre, decet.

Nempe ubi præpollens aliquis uirtute, potensq;

Ingenua de te luserit arte sales,

Nanq; animi inditium est agrestis, ad omnia dicta,

Mutua & ad lepidos uerba referre iocos.

Tu concede aliquid maioribus, artis id ipsum est,

Et bene quæ nosti, dissimulare queas,

Verum apud æquales æqualibus utere uerbis.

Cuiq; iocis licet hic reddere posse iocos.

Sed tamen inuidiæ morsus rabidissimus absit,

Omnibus in dictis semper apertus eris, &

Aperit, simeru

Quæ dicis ioca, simplicibus dic omnia uerbis,

Ne quisquam credat præmeditata loqui.

Cur ita? Ne forsitan uideare instructus ad illud,

Vt peteres audax scommate quenq; tuo.

Sic inimicitia facili ratione parantur, &

*Inimicitia
facile parantur*

Inde simultates, ira q; longa uenit,

Sæpe alios lauda, poteris laudare iocando,

Crede mihi multum laus sua cuiq; placet.

Lam enim plac

Absentes nunquam socios reprehende iocando,

Hic moneo semper parcior esse uelis.

Quid

DE ARTE IOCANDI,

Quid multis? Genus hoc totū breuitate probandū est,

Nulla hic ubertas, copia nulla placet,

Si uis liberius, neq; non cum laude iocari,

Elige res medias, sponte disertus eris,

Multa potes lepidis generatim dicere uerbis,

Communes facile est ludere posse sales,

Vt neq; respiciant ullo tua nomina uerbo,

Atq; ideo de te non uideare loqui,

Nec tamen ex alijs sumpti fortè esse putentur,

Deq; alijs igitur non uideare loqui,

Hæc duo te iubeo uitiosa extrema notare,

Quæ sunt in lepidis parte ab utraq; iocis,

Est aliud, cum scurrilem declinat ad artem,

Et uagus existens diffluit inde iocus,

Est aliud, uinclis nimium cum stringitur arctis,

Vt nullas uires possit habere lepos,

Hoc opus hic labor est, medium tenuisse iocanti,

Difficile, excessus posse notare duos,

Nam facile in uitium possunt transire lepores,

Et facile est metam transilisse tibi,

Ex bla *Sunt exempla domi, sunt & foris, obuia passim,*

Sunt domi
& foris

Siue aliquis dicat seria, siue iocos,

Est labor, est studium, uirtus, fortuna, uoluptas,

Millia sunt quæ non nostra tabella capit,

De Veneris studio nunquid per multa iocantur?

In sua uulnificus quos iuga traxit amor?

Et tæ

LIBER SECVNDVS.

Et tamen hoc ipso meretricia uerba loquuntur.

Omnia lasciuus sunt ibi plena iocis,

illa equidem non est ratio laudata iocandi,

Nec meruit salibus nomen habere meis.

Cur ita? Nam late nimis extra septa uagatur, &

Nec se limitibus continet illa suis.

Vincula soluuntur nimium laxata iocandi,

Et salibus prauis magna fenestra patet.

Sic ubi, in angustos nimium concludere fines

Cœperis, ingenuum qui ualet arte iocum.

Desinit esse iocus, neq; iam delectat, & illis

Quas ita designat, gratia rebus abest,

Res patet exemplis, toto est notissima cœlo, &

Hæc bene res animo est notificanda tuo.

Si merita cupiens uirtutem extollere laude,

Virtutem summum dixeris esse bonum.

Dixeris egregie, nec habebis pauca Sophorum,

Quæ sunt iudicio congrua scripta tuo.

Sed tamen hic nullus lepor est, & nulla uenustas,

Nemo potest tali letus abire ioco.

Quandoquidem, nimis angustus quia ponitur illi

Terminus, ut fuerat desinit esse iocus.

Verum equidem melius tangentem sydera montem

Finxeris, & syluas quæ remorentur iter,

Finxeris, in celsa Virtutem rupe sedere,

Indutam palla uersicolore Deam.

Non uult
ubi sit
suis suis

RA Explus
dura &
notu

Atq;

DE ARTE IOCANDI,

Atq; subinde alios homines ascendere ad illam
Conari, media sed remanere uia.

perrumpet
perrumpet Audiet hæc aliquis, perrumpet pectora risu,
Ingenij laudans flumina magna tui,

Talia multa dabit uariarum occasio rerum,

Hoc serua Quæ ualet in lepidis non minus arte iocis.

Cum licet, hanc serua, nunquam obseruasse pigebit,

Vt facile placeas omnibus, illa dabit.

Varietas
colata Nanq; modis quia delectat uariatio miris,

Atq; oculos hominum res uariata capit,

Hæc dabit æstiuis depictum floribus hortum

Ex quo decerpas dulcia multa tibi,

Scilicet ingenua deductos arte lepores,

Et multa dignos nobilitate iocos,

Nunc tibi de Musis nunc de uirtutis amore,

Deq; alijs rebus uerba iocosa dabit.

Sed quoniam uariè uarias mutatur in horas,

Nec semper constans una eademq; manet.

Forsitan eueniet, facile ut labare iocando,

Et subito in uarios diripiare modos,

Si, quoscunq; iocos ueniens occasio præbet,

Intempestiua garrulitate probes.

Vt bene & arte Sales omnes distinguere possis,

Sunt ea quæ dicam pauca tenenda tibi.

Fallitur ingenuo quicunq; ita sentit, ut aptam,

Materiam salibus quamlibet esse putet.

Omnia

LIBER SECVNDVS.

Omnia quæ duris designant tristia uerbis,
Omnia quæ dici seria dicta solent.
Hæc lepidis prorsus salibus contraria dices,
Commodus & pulcher non erit inde iocus.
Quo magis obserues quæ tempus & hora requirat,
Atq; ea præcipue commoditate probes.
Ingenium cuiusq; notes & pectora noris,
Nosse quidem semper proderit illa tibi.
O quantum est nouisse, hominum quid pectoris intus,
Vim certè, ut placeas omnibus, istud habet.
Ergo ubi cognoris mores, studiumq; fidemq;
(Nam prius haud quaquam luseris arte sales)
Inde iocos & uerba iocis affingere noris,
Conueniant rebus uerba iocosa suis,
De Veneris puero iocus est iucundus amanti,
Non illi multum bellica Diua placet,
Sic Helenæ laudes Paridi, dictumq; placebat,
Ah pereant per quos foemina crimen habet.
Sic iucundus erat iocus hic, & amabilis illi,
Bella gerant alij, tu Pari semper ama.
Non sonus, aut pulchrum deceat quæ cantio Phœbū,
Musica non illi dulcior ulla fuit.
Musa Poëtarum iocus est, Nanq; omnia uates,
Quæ sunt de claris uatibus orta iuuant,
Fabula ficta placet, sunt omnia grata Poëtis,
Quæ ioca de Musis commemorare potes.

Ergo

Ingenium ho
mum nosse d.

perant
q. uim
ficta
iucundus

DE ARTE IOCANDI,

Ergo ubi Phœbeo cum uate iocabere uates,

Dicere multa licet, fingere multa licet.

Finge uel Aonidum montem, uel pulchra sororum

Nomina, finge aliud, sponte disertus eris,

Nabilia finge (licet) cytharasq; chelesq; sonantes,

Fictio (crede mihi) plena leporis erit.

Sydera conuexi uaga qui scrutantur olympi,

His solet ex stellis gratior esse iocus.

Hic Caper, hic Pisces, Gemini, Leo Cancer, & Vrna,

Ficta locum salibus materiemq; dabunt,

Quid, quos ipsa sales etiam conuiuia præbent

Enumerem? numero cedit arena meo,

In m. d. c. d. e. Et fora conueniunt, & res sunt apta iocanti,

fora Sæpe est in medio fabula dicta foro,

fabula judicibus duris nunc mens flectenda lepore est,

scholasticæ Iamq; fauor populi conciliandus erit,

Tam Consul, iudexq; grauis, letusq; Senatus,

Mitescet salibus, quàm fera turba, tuis.

Fabula ficta placet communiter omnibus illis,

Duritie qui non ferrea corda gerunt,

Namq; animos hominum recreat, curasq; resoluit,

Et paucis salibus seria magna tegit,

In m. d. c. d. e. Uidimus hac iuuenes letari pectore multos,

et stans Hic hilares olim uidimus esse senes.

resoluit Hic Phrygiæ doctum scriptorem imitare fabellæ,

Fac, sit ut ille ioci pars quotacumq; tui.

Ille ue.

LIBER SECVNDVS.

Ille uenustatis semper, blandiq; leporis,
Pulcher figmenti doctor & autor erit.
Ille quidem pavidis moestissima pectora curis
Liberat, ex illo fonte disertus eris, &
Hinc, apud unanimes si conuiuator amicos
Adsis, haud dubites uerba iocosa loqui.
Ac ubi de lepidis rebus narratio coepta est,
Si iucunda alijs commemorare uelis,
Omnia perspicue ut narres, sub imagine quoddam,
Effigies uerbis est adhibenda tuis,
Adde notas, signa adde rei, memorandaq; multa
Adde notam certi temporis, adde locum.
Iunge hominis mores ridicula uerba locuti,
Et subeant animum millia multa tuum.
Adde rei flores, & persuadentia uerba,
Ut nisi quod uerum est nil uideare loqui.
Non tamen ut Mimus quidam uidearis & actor,
Corpore uel manibus gesticulator eris.
Non agis, at narras, narrantis munere fungi,
Talibus in rebus te meminisse decet,
Est opus hic potius culta tibi dote Mineruae,
Qua prohibente male, quae facis, illa facis. &
Narranti uultus non durus & horridus adsit,
Nunc uacuum rugis tristibus esse decet.
Nanq; decens facilem commendat gratia uultum,
Et magis interdum quam iocus ipse placet.

D

Quis

*Circumstantia
non sunt
uere*

et gesticulatio

*Hac uerba
non sunt
omnino*

DE ARTE IOCANDI,

Quis dubitat? Quos ille iocos qua fronte lepores

Dicet, cui facies, Stoica, torua, ferox?

Qualibus ille oculis narrabit & ore fabellam?

Deniq; digna ioco qua ratione dabit?

Scilicet ornatum uultus ibi detrahit omnem,

Omnia dicendo prodigiosa facit.

Vt bene Thersites norit præcepta iocandi,

Ac sciat ex illis multa faceta loqui.

Si tamen incipiet uultu noua uerba sereno,

Turbabit dictis pectora leta suis.

Deniq; si loquitur, semper monstrosa loquetur,

Verbaq; certe ipso pene timenda sono,

Causa erit in tetro distortus corpore uultus,

Causa erit indignis lingua tremenda modis.

Tanta creatricis, uulgata potentia, regnans

Naturæ, lepidum, sola, gubernat opus.

Illa homines ut displiceant, hominiq; probentur,

Illa alios alijs posse placere dedit,

Illa dat ingenium, formam, decus atq; lepores,

Illa dedit uitæ munere posse frui.

Est aliquid studium, laudatur carmine uatum

Artifices doctos quos facit, usus, habens:

Hunc quoq; naturæ forsân conferre licebit,

Illa tamen multò est nobilitate prior.

Donaq; naturæ nullo uincuntur ab usu,

Nam diuina homini, quæ dedit, illa dedit.

Nota

Varia
Suna
ho imm

LIBER SECVNDVS.

Nota quidem res est, sed non indigna probari.

Et cur non etiam nota probare licet?

Cui dedit ingenium studijs natura paratum,

Illi qua dederit conditione, uide.

Non habeat tantum, sed qualibet ardua tentans

In studio, ingenij ui superare queat.

Hæc illi (quia sunt etiam) leuiora uidentur

Quàm stolidæ linguæ garrula uerba loqui.

Sic aliquos uidi non præmeditata loquendo,

Ingenuis uerbis multa faceta loqui.

Causa erat eximia naturæ dote iuuari,

Causa erat ingenium tendere posse suum.

Non ea contingunt præstantia dona cuius,

O quàm naturæ est rarius illud opus.

Siue tamen magna ingenij te dote beaui,

Siue tibi pectus uix mediocre dedit.

Hæc animo subeant, Non omnia possumus omnes,

Nec dubites, semper multa deesse tibi

Vtere natura, præstantibus utere donis,

Nullus id infandum credidit esse nefas.

Dic alios tamen esse aliquid, dic posse uolentes

Omnia, nec studio nil tribuisse uelis.

Illa adeò nunquam subeat persuasio mentem,

Omni bus ingenijs acrius esse tuum,

Vix sibi in humanis constat mens optima rebus,

Sensibus interdum fallitur illa suis.

Sunt alij
qui etiam
quod nunc
moderate agi
in scriptura
Non omni
co. n. m. g. m. g.

Non omni
possumus
omnes
Natura m. s.
Quis.

Præstantia
no. p. h. o. u.
m. s. t. m. g.

DE ARTE IOCANDI,

Sepe quis ingenium sibi finxerat esse iocosum,
Qui tamen in salibus prorsus ineptus erat.
Atq; ita dum ualde lepidus contendit haberi,
Quam cupit, esse minus nil tamen esse potest,

*In magni
insulsi suo
seruus* Et quia se credit multum prestare iocando,
Errore insulsus fit magis iste suo.

Quo magis, o iuuenis, ne talis opinio fallat,
Neu tali sensu decipiare, caue,

In capite uultu Nec tantum, Ingenium si non est do tibus amplum,
Te pudeat uita poeniteatq; tua,

Crede mihi, in centum uix est mortalibus unus,
Qui flecti ad lepidos non queat arte iocos,

Ars oia dedit Arte feras, rabidos ursos, aprosq; domamus,
Ars homini in studijs omnia posse dedit,

*2 labore
oia vincuntur* Omnia uincuntur studio, ceduntq; labori,
Perfectumq; facit quod labor urget opus,

*Ingenio damna
na foris
rebus* Ergo iocos lepidosq; sales euince uolendo,
Naturæ studio damna repende tuæ.

Ingeniumq; decet mediocre, impendere curam,
Ut studio superes, sic quoq; magnus eris,

Quandoquidem nõ forma decus modo corporis addit
Ars etiam claros ingeniosa facit,

*Corporis
deformis
ingenio
clarus* Autor & inceptor Phrygiæ scriptorq; fabellæ,
Corpore deformis, pectore clarus erat,

Ut careat forma, nihilominus, arte probatur,
Et certè multum, qui ualet arte, ualet,

Nota

LIBER SECVNDVS.

Nota cano, sed nota etiam didicisse iuuabit,

Forsitan & laudis nonnihil inde feres,

Hactenus ex rebus qua sit ratione iocandum,

Imparibus docuit nostra Thalia modis,

Quæ bene si noris, nec enim nouisse pigebit,

Ingenij uires experiare tui,

Nec nostris contentus eris, maiora requires,

Vt facile inuenias iam tibi plana uia est.

Vtere carminibus certo uelut indice nostris,

Sic instar statuæ Mercurialis erunt.

Quot cœlū stellas, quot habet mare flumina et undas,

Quot nunquam domitas sylua Bohema feras.

Tot (mihi crede) dabit dulces res ipsa lepores,

Ante oculos uenient commoda & apta tuos.

Siue petis iuuenem, cum quo ratione ioceris,

Mille iocos ætas letior illa dabit.

Quoq; ualent studio, multum iocus inde placebit,

Inde etiam noris ludere posse sales.

Seu te forte iuuat, uetulis quæ conuenit ætas,

Et cupis annosos exhilarare senes.

Sponte tibi obuenient tarda placitura senectæ

Plurima, quæ uarium tempus & hora dabit.

Plurima dicentem quoq; præsens causa monebit,

Præsentis memorem temporis esse decet.

Hæc memori si pauca animo præcepta tenebis,

Acceptus salibus cuilibet esse potes.

D 3

Si modo.

Non pige
tu nouisse

Atque Arist
instar statuæ
Mercurij

Memor
præsentis
temporis

DE ARTE IOCANDI,

Sicut non Si modo res curæ est, ut conuenientia spectes,
ut quilibet
quis; placuit Quæ bene conueniunt, omnibus illa placent.

Quàm tibi præcipue decet hic impendere curam,

Nanq; ioci ex rebus crebrior usus erit.

Quandoquidem bene præuisam rem uerba sequuntur,

Ponenda in uerbis ultima cura tibi est,

Est tamen & uarie nihilominus ille probatus,

Qui uenit ex dicto conueniente, lepos.

Hic uatum exemplo te fingere posse necesse est.

Plurima, fingendo nam iocus ille ualet,

Quæris an hoc liceat? Mendaces fingere nugæ

Non licet, at doctis fingere multa, licet.

Plurima doctiloqui norunt effingere uates,

Hæc laus officij est Musa diserta tui.

Inde Poëtarum summus, laudatur Homerus,

Hinc & Vergilij fama perennis erit.

Fabula Sæpe mouet mentes hominum sub imagine ueræ
sæpe quibus
faciem

Sæpe etiam meruit fabula ficta fidem.

Obijcis, indocti quoq; plurima fingere norunt.

Est ita sed Et qui non possit fingere nullus erit,

Fingula
vulgi Est ita, sed stolidi sunt prorsus inania uulgi

Figmenta, & nullis ingeniosa modis.

Quis probet ingenium? si mundos mille ueraces,

Et fingas motum quenq; tenere suum?

Quis figmenta probet? si quemlibet absq; labore,

Cælestes dicas scandere posse domos?

Si dicas

LIBER SECVNDVS.

Si dicas magno ruiturum pondere cœlum,
Quis nisi mentis inops hæc tua dicta probet:
Ergo ea quæ fingis, moneo sint proxima ueris,
Absurdum dictu quod foret, omne fuge.
Quod nisi, quid tempus, quid postulet hora, uidebis
Quid persona, locus, prorsus ineptus eris.
Fingito sed studeas, ne quis mendacia credat,
Neue queri possit dura fuisse, caue.
Sed probet in uerbis adiunctos arte lepores,
Et tamen hæc cadem ficta fuisse neget,
Hæc est nobilium uigilans prudentia uatum,
Et studium & facilis uena imitanda tibi.
Ingenij uires, ars, exercenda, labores
Vincendi, & paruo tempore doctus eris.
Labitur in peius si sit rubigine lesum,
Nec manet ingenio quod fuit antè decus. &
Sicut in umbrosis & sole carentibus illis,
Si qua fuere diu forte reposta, locis.
Si non uersentur, canescunt tempore paruo,
Et gelido cernas omnia plena situ.
Ergo intende animum, uideas quæ nomina possint
Ad lepidos flecti, qua ratione, iocos.
Multa quidem natura illis inidonea fecit,
Quæ nimis ingrato sunt metuenda sono.
Multa tamen reperire licet, satis apta iocando,
Multa tibi Latium, Græcia multa dabit.

D. 4

Tu mo

*Absurda fin
granda*

*Oss. uerum
hæc exercen
del.*

DE ARTE IOCANDI,

Tu modo ne tumidus forte ista uocabula spernas,

Nec dicas, pueris conuenit iste labor

Crede mihi, lepidi nonnunquam gratia dicti

Non leuius, quam uox seria, pondus habet.

Hic quoq; sunt leges, sunt & præcepta, sed illis

Mors *Non* *Nimiam* *manu* *Non nimis astrictum legibus esse uolo,*

Nec tamen audacter iubeo uiolare, quid ergo?

Ut semper mancas inter utrumq; uolo.

Litera nominibus nonnunquam dempta uenustis,

Aptior est multo quam fuit ante iocis,

Addita nonnunquam placet, et lepida arte probatur,

Non sine præscripta conditione tamen,

Sæpe etiam in lepidis mutatur syllaba dictis,

Sæpe etiam uerbo syllaba dempta placet.

Exep. In *Quis negat esse iocam? cum dicitur aptus arando*

Nominis Orator proximitate sui?

Vertitur hic uocis sonus, & natura, decusq;

Inq; alium migrat quam fuit ante statum.

Mula *Nomine sic medicus poterit mendicus haberi,*

trons *Irus & inuerso nomine Cyrus erit,*

salu *Vidi ego qui placidus memorabile nomen habebat,*

uow *Ut uersa est acidus syllaba, dictus erat,*

An male detortis amentem uocibus illum

Dixeris, omnino qui furiosus amat?

Et facili fiet studio, nulloq; labore,

Vnica mutetur litera, risus erit.

Tantâ

LIBER SECVNDVS.

Tantà ne de summo tibi nata potentia cælo ?

Aut Iouis imperio litera parua tibi est ?

Tu superas uarijs mutatum Protea formis,

Ipse etiam inferior Polypus arte tua est.

Ille potest uario sese mutare colore,

Sunt habitus uarij corporis inde sui.

Tu facili ratione potes, uitamq; statumq;

Et formam nullis non uariare modis.

Fit subito, si tu cupias, ex diuite pauper,

Fit subito magnus, qui modo paruus erat.

*Fit magnus
q paruum
erat.*

Sicut es, in nostro tu pars eris una libello,

Te semper multo laudis honore colam.

Honore cola

Scilicet ut reddas mutato in corpore formam,

Restituasq; iterum quod fuit ante decus.

Nam tuus hic ludus, seu transformatio rerum,

Sæpe iocosa fuit, seria nulla fuit.

Tu quoq; Cecropij iuuenis studiose leporis

Hanc cole, & his dignam uersibus esse puta.

Atq; ubi culta satis fuerit, si culta placebit,

~~Vlterius studio progrediare tuo,~~

*Vltra progredere
deus in Sineis*

Nomina finge suis bene conuenientia rebus,

Nec tantum efficiat litera sola iocum.

Nomina facta placent, dictus pro diuite pauper.

Impositoq; alio nomine risus erit.

Fac hunc Alciden, fac illum Thesea magnum,

Fortis in infernis uallibus iste fuit.

C 5

Hic est

DE ARTE IOCANDI

Hic est dic Orpheus Cythara qui ludere nouit,
Ille canens fidibus doctus Arion erit.
Ille uel ille alij, Nam plurima nomina possunt
Egregia effingi, sin minus, apta tamen.
Sic uasfer ingenio poterit uulpecula dici,
Euclio, qui nummos numinis instar habet.
Eloquio clarus culto facundus Vlysses
Iustus Aristides dictus amator erit.
Sexcentis alijs poteris facundus haberi,
Et praesens tempus millia multa dabit.
Quid queat ambiguus in uocibus esse leporis,
Quid possit dubitans ἀμφιβολία, uide.
Quid ualeant lepidis conficta aenigmata uerbis
In quibus ipse iocus seria multa tegit.
Quid referam ueterum clarissima dicta Sophorum?
Quae sunt in sensu pulchra, faceta graui.
Erasmus De quibus egregius nunquam moriturus Erasmus,
Eximio studio condidit auctor opus.
Hinc aliquis referens uel bis duo uerba iocando,
Saepe habitus magno dignus honore fuit.
Sunt etiam multa celebrata Prouerbia laude,
Quae tibi pulchra satis lingua latina dabit.
Oedipodes tibi sint, quicumq; aenigmata soluunt,
Ingenioq; uident qui tua dicta suo.
Sin minus hoc liceat, sua coniectura placebit
Cuilibet, & risus omnibus illa dabit.

Multa

LIBER SECVNDVS.

Multa iocosa etiam sermone latentia tecto

Dicimus, & uarijs conijcienda modis.

Sæpe etiam terrere minis, promittere uerbo

Est iocus, & pulchri signa leporis habent.

Non ea sub nostras ueniunt tamen omnia leges,

Monstratrix tantum nostra Thalia fuit.

Hoc moneo tantum, salibus mediocriter uti,

Et certum possis imposuisse modam.

Tullius hoc olim uitio fuit ipse notatus,

Qui nimis in salibus luxuriosus erat.

Hæc meminisse decet, certe meminisse iuuabit,

Scilicet exemplo cautior esse potes.

Tunc bene desinitur, cum lusus pulcher habetur,

Cum placet & lepidus dicitur esse iocus.

Sicut, cum tenero sunt omnia grata palato,

Tum stomacho, prodest quàm cepit esse minus.

Quod nisi seruetur modus hic quoq; in arte iocandi

Displicet, ingenuis qui fuit ante, iocus.

Nec placet illius ratio uel honesta iocandi,

Qui semel in partem criminis inde uenit.

Inde cauere decet, ne cui moueatur amico,

Ex salibus fluitans nausea forte tuis.

Plura tibi longum sunt obseruanda per usum,

Ille artem facilem qui tibi reddat erit,

Ille manus habiles reddit, fidibusq; canoris,

Applicat, artificem protinus ille facit.

Tu quoq;

*Cilro notatus
pp Inxuria uoioz*

*M. Amm. p.
Tibi dicitur*

*Vn multa
obseruanda*

DE ARTE IOCANDI,

Tu quoq; fac usu uincas incommoda mentis,

Et mea non tardo pectore scripta legas.

Meq; tuum uatem, & fidum, profiteri, Magistrum

*Eius deo
fuit in
plana* Qui, quaecunq; dedi, non nisi plana dedi,

Quod si persuasum fuerit tibi, teq; putabis,

Multa magisterio discere posse meo.

Sic docuisse alios mea Musa putabit, ut inde,

Grande operae precium se retulisse sciat.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TER



DE ARTE IOCANDI, LIBER TERTIVS.

HActenus (ut nullo capta est nouitatis amore)
Et rudis & simplex nostra Thalia fuit.

Quandoquidem rudis est cui scribimus ista iocando

Et rudibus tantum, quae damus, illa damus.

Quis modus, & quae sit ratio, sermone iocandi

Diximus, haec primum meta tenenda fuit.

Iam superest nobis coepti pars magna laboris,

Lassaq; uix medium Musa peregit iter.

Ad noua, qui nouus es, nunc te certamina miles

Ire uolo, & noua sunt castra petenda tibi.

Vos iterum Charites precor aspirate canenti,

Quod cano, de uestris laudibus omne canam.

Vos mihi proposita, ductus sequor ordine uestros

Thesea ueluti fila ligata manu.

Sancta precor tenuem nunc in penetralia uatens

Ducite, sit uestras fas adijisse domos.

Vestibulum primum sacrataq; limina uidi.

Limina diuino carmine digna cani.

Nunc pergo ulterius, modo sit progressus ad ipsas

Concessus sedes, & uia plana mihi.

Vos monstrate uiam, qua semita ducat euntem,

Vestrum opus est artes excoluisse bonas

Fallet: an hic circum mihi nuc florere uidentur;

Omnia & ornata sese aperire fores.

*Apostro-
phe ad
Musas.*

*Vos mon-
strate uia
qua sit
euntem*

Certe

DE ARTE IOCANDI,

Certe equidem patet introitus Charitesq; uocatae
Adsunt, nosq; ultro sub sua tecta uocant.

I iuuenis mecum, sacrataq; tecta subintra,
Cuius Pieridum pectora tangit amor.

Qui tenet & didicit facilem quaecunq; leporem
Efficiunt, scriptis non eget ille meis,

Acriter ad palmæ per se qui currit honorem,
Acriter ad palmæ per se qui currit honorem,

illi non opus est addere calcar equo.

Non opus est stimulis agitare ad aratra iuuenicos,

Qui dant seruili subdita colla iugo

Dic, an ei monitis qui sponte mouetur? an illi

Consilij opus, est qui satis ipse sapit?

Sed quia perfectum, uel ab omni parte beatum,

Rebus in humanis nil satis esse potest.

Crede mihi & summis rerum discenda Magistris,

Longa dies æui millia multa dabit.

Artifices discunt, & ijs quæ discere possint,

Plurima suppeditat tempus, & hora frequens.

Fertur ab indoctis didicisse insignis Apelles,

Et laudem ingenij postposuisse sui.

Senes quædam multa licet teneant docuit quos longior usus.

Non piget inualidos discere multa senes.

Est uitium nescire, sed est didicisse uoluptas,

Omimbus ingenijs conuenit istud opus.

Ergo aliquis rectè dicetur ineptus ab illo

Crimine, quod sese cuncta tenere putat.

Sic po

LIBER TERTIVS.

Sic poterit forsā, qui nulla excultus ab arte est
Iudicio Musis doctior esse suo.

*Sms m d h v
ip/su An/s
doctior.*

Sed ualeat, propria qui laudis amore tenetur,
Discipulus certe non erit ille meus.

Cui mea Musa placet, qui te non scire fateris
Omnia, tu semper carmina nostra legas.

Quod si pauca tenes, animoq; priora notasti
Hac praecepta, labor discere nullus erit.

Quandoquidem iactata ualet sententia uulgo,
Dimidium facti qui bene coepit habet.

*Vulgo nota
Stultitia*

De causis quibus est pulchrum in sermonibus uti,
Si praecepta tenes tradita, multa tenes.

Quae tamen ut noris, certè non omnia nosti,
Restat adhuc aliud quod mediteris opus.

*Ad huc alius
respice.*

Non modo Cecropius lepor in sermone probatur,
Tenditur, & multo latius ille patet.

Scilicet & scriptis laus est bene posse iocari,
Nec minus hic salibus qui uelit ille ualet.

Hac quoq; praeceptis aliquot te parte docebo,
Ut prius hic etiam meta tenenda tibi est.

Hanc ego, quam primam studio, perdiscere partem,
Certe operæpretium grandius esse puto.

Scripta etenim ingenij nostri sunt maior imago,
Et referunt certis pectora nostra notis.

*Scripta
sunt im
genij n
ingenij.*

Adde quod in scriptis nec libertate iocandi,
Nec quauis uti conditione licet.

Verba

DE ARTE IOCANDI,

Verba pennis

*Volant
no volat*

Verba uolant instar palæ, pennaq; uolantis,
Quam subito uolitans per mare uentus agit.

Sæpe aliquod dictum patulas preteruolat aures
Quod quicumq; legit mente tenere potest,

Collatio Nempe ea quæ tarde sunt lecta tenacius hærent,
Inq; animum facile est hæc reuocare tuum

*Oris ab
Verbum
Scripta manent* Que sunt scripta manent & longo tempore durant,
In uentos abeunt omnia uerba leues.

Ergo aliud studium, quod scilicet omnia uincat,
Maior & hic nunc est cura adhibenda tibi.

*Alter alius
auxilio
Egit* Est tamen hæc etiam parti cognata priori

& Altera & alterius semper egebit ope,

Hos iuuenis moneo coniunctim discere libellos,
Et subeant animo uerba priora tuo

Non ego nunc eadem repetam, quia prorsus inanis
In nostro uersu tautologia foret,

Ipsam opus aggredior, lepide præcepta iocandi
Carmine seu prosa, pauca sed apta dabo

Si tua, quod multi faciunt, commune legentum
Edita iudicium scripta subire uelis.

Materiam scripti primum reperire labora,
Quæ bene Cecropijs competat apta iocis,

*Inuenit
facilis*

Hanc facile est reperire tibi cum postulat usus

Quærere non opus est, tempus & hora dabis

Seu minus, atq; iocos rerum grauitate uel ipsa
Materia prægnans non patietur opus

Quid

LIBER TERTIVS.

Quid facias quæris? libeat spectare quod obstat,

Materia ratio est semper habenda tibi.

Inspice res ipsas, & causas inspice rerum,

Omni*bus* hæc statuas anteferenda iocis.

Nulla faceta iuuant inconuenientia rebus,

Atq; à materia nulla aliena placent.

Si cognata tamen cognatis quælibet addas,

Forsan erit scripti causa probata tui.

Non ita, quin liceat causas mutare iocandi,

Astrictum nostris legibus esse uolo.

Addere res alias alijs quandoq; licebit,

Addere uerba iocis proxima quæq; suis.

Nam nihil est ulla quod scribi possit in arte,

Sic de doctrinis scribere nemo potest.

Vt non inueniat suauis satis apta lepori,

Et res est lepidis uerba probata iocis.

Dic mihi, num poterit prohibere Sophia lepores?

Si fuerit scripti causa Sophia tui?

Num Medicina uetat? num lata scientia Iuris?

Quid uetat in numeris Naso Poëta tuis,

An uetat æthereis clarum cui nomen ab astris

Cœlestes scrutans, Astronomia, domos?

Nil uetat, in sacris nisi constans Regula scriptis,

Nil nisi præscriptum te iubet illa sequi.

Quo magis a salibus, cum scribis sacra, prophanis

Nam decet, & rectum est, abstinuisse uelim.

E

Non

DE ARTE IOCANDI,

Non quia non fas sit sacris miscere lepores,
Quodq; sacra Idalijs sint inimica iocis.

*Omnib; quibusdam
imposse* Sed quoniam uarios referunt hæc secula mores,
Scribere quis uarijs moribus apta potest?

Quam facile est animum uerbo offendisse legentis?

Quam facile est salibus posse nocere tuis?

Viuere quem dicas, quin sit reprehensus ab illis,

Vipereo quorum pectora felle scatent?

Cuius ab inuidia non carptos esse libellos

Credibile est? quem non hæ tetigere faces?

*Eno pla
clm hunc
ih displic* Sæpe alijs quibus est sincero in pectore candor,

Si qua placent, alijs displicuisse uides.

Sic animi uariant hominum, nec opinio mentis

Immutata diu, quæ fuit ante, manet.

Cernis ut ingenium planum, moresq; sequantur

Iudicia, et rerum pondere quæq; uacent.

Hic ait, admittunt suaues quoq; sacra lepores,

Ille ait, in sacris non nisi sacra decent.

*Salra no
infirma
prophans* Nam uitium est summum sacra admiscere prophanis,
Quod quicumq; facit, sacra prophana facit.

*Ade no fingo
sed ut dicitur
reprobis* Hæc ego non fingo, sed idem res ipsa loquetur,

Dic mihi quis uerum dissimulare potest?

Sunt qui Pierides manifesto crimine damnant,

Quæ sacra non humili quo decet ore canunt.

Et quia liberior numeris concessa potestas,

Pieridum numeris sacra canenda negant.

O repræ

LIBER TERTIVS.

O reprehensores, Momi foecunda propago, *Momi*
O male iudicium turba sequuta tuum.
Haud mihi difficile est tibi respondere, nec istud
Non ex propositi est conditione mei,
Quid uetat Aonides sacris adhibere canendis?
Quid uetat & numeros sacra tenere suos?
An grauitas, quæ rebus inest? & nescia flecti
Versibus ad faciles uerba sacrata modos?
Falleris & uanis motus rationibus erras, *B. Error agnam*
Scilicet absurdum quilibet error amat. *absurditas*
Hic tibi gentiles quoq; contradicere noris, *Falsum sors*
Qui bene perspectum non habuere Deum. *in ceterum*
Pyndarus, in lyricis tribuit cui Græcia palmam,
Pierides primum uult celebrare Deum.
Nam quia diuinos scribenda ad carmina motus,
Excitat ipse animis qui regit astra Deus.
Ingenij uires merito conferre Poetas,
Ad celebranda Dei nomina sancta decet.
Nataq; diuinis laudandis carmine rebus,
Debet in officio Musa manere suo.
At leuis est, dicis, plerunq; nec abstinet unquam,
Nugaci linguæ garrulitate suæ.
Nec leuis est semper, nec garrula, saepe probatur,
Cum leuis est, nec ab hoc crimen habere potest.
Si leuitas uitium est semper, pars maxima uatum
Est leuis, & uitio non caret illa suo.

DE ARTE IOCANDI,

Musa leuis fateor saepe est, & garrula saepe,

Nec sibi figmentis displicet illa suis.

Sed nisi scurrilis leuitas, si nulla reperta est,

Sic leuitate caret, garrulitate caret.

Non leuis ergo fuit, nec garrula Musa reperta est,

Sed potius (dicam) Musa iocosa fuit.

An uitium est etiam, si dicitur esse iocosa?

Ah pereat lepidos qui negat esse iocos.

¶ Frigidus huic nimium est circum precordia sanguis,

Et iacet in duro pectore dura silix.

Ille etiam in caelo Phoebum splendere negabit,

Et terram motus dicet habere suos.

Gnauiter ut sit enim perfricta frontis oportet,

Qui semel in rebus desijt esse pudens.

Sed neget ille Deum, neget alti lumen olympi,

Telluremque neget, sydera clara neget.

Nil moror haec, neque quem talis dementia coepit,

Huic homini stulto carmina nostra damus.

Ille suos adeat Momos, petat inde quod optet,

~~Se nihil in Musis iuris habere setat.~~

Nec tamen insanis hic respondere uolebam,

Et nihil hic prodest perdere uerba mihi.

Ergo ad te redeo, cui Musa iocosa probatur,

Quodque nequit merito displicuisse, placet.

Vrdohis

q. in mda

Santonia

Hic iam quae mea sit sententia certa, uidebis

Forsitan & menti congruet illa tuae.

Principio

LIBER TERTIVS.

Principio ut rebus diuinis nata Thalia est,
Sacra canens, apte, quæ canit, illa canit.
Ac licet ad certas astricta sit undiq; leges,
Dum canit ad numeros sacra ligata suos.
Attamen ingenuos illi aspersisse lepores,
Et licet & fas est, causa nec ulla uetat.
Sed minus ut uaga sit, quantum solet esse, fabellas,
Libera cum uena liberiore canit.
Et facile est illi. se continuisse, nec unquam
In numeris sibi non constitit illa suis.
Non moror hic uario pollutos crimine uates,
Qui cupiunt uersu lædere quenq; suo.
Semper abutuntur diuinis artibus illi,
Musaq; ijs. uitio commaculata placet.
Sed nihil inde trahit uitij (nihil hæret in illo
Criminis) Aonidum, turba uerenda, chorus.
Detestandus erit certo qui crimine damnat,
Quæ sunt de rebus, carmina scripta sacris
Quiq; negat, sacris adhiberi posse canenais,
Ingenuis unquam uerba faceta iocis.
Ista superstitio, quod res sit uana, probamus, & *Snyssho*
Et quid enim tali uanius esse potest?
Dicimus, & sacris fas esse aliquando lepores
Addere, sed certa conditione tamen.
Scilicet ut scripti lasciuiæ carminis absit,
Nec faciat nimius sacra prophana iocus.

LIBER TERTIVS.

Non modo, lux uerbi & pietas quibus alma reluxit,
Secula, laudatos, nostra, tulere uiros.
Carminē qui celebrent sacri mysteria uerbi,
Atq; canant numeris sacra ligata suis.
Verumetiam multos tulit etas prisca Poetas,
Qui coluere pias cum pietate Deas.
Et quia sunt uario celebrati nomine laudis,
Quam nunc de sera posteritate ferunt.
Hos tibi ceu ueros (moneo) proponere Magistros,
Qui possunt Musas erudisse tuas.
Doctus honorandos cecinit Prudentius hymnos,
Complexus uarijs nil nisi sacra modis.
Illius in templis hoc tempore scripta canuntur.
Doctorumq; hominum semper in ore uigent.
Mira Euangelion scripsit breuitate Iuuenius,
Crede mihi breuitas ingeniosa placet. &
Nostra Cremonensem fouerunt secula Vidam,
Quem sibi Vergilius dixerit esse parem.
Illius, in manibus nostris uersatur, & extat
Christiados, merito quod celebratur, opus.
Quid sileam? dignum præstanti laude Poetam:
Qui fuit Hesiaci lumen & aura soli.
Et fuit, & nunc est, quis enim non esse putaret,
Quem pia Semideum scripta fuisse probant.
Quamuis mortalis spoliatum munere uitæ
Noouimus, at scriptis uita perennis erit.

*Prudentius
hymnos*

*20
Iuuenius
Breuitas
placet
Vidam*

Hesiaci

DE ARTE IOCANDI,

Hunc ceu Germanum, moneo, Germanus Homerum
In manibus teneas nocte dieq; tuis.

Inde uenustates, scribens, suauesq; lepores,

Si quod habent pondus carmina nostra, petes.

Quod si contigerit minus hunc aequare Poëtam
Ingenio, aut uenæ fertilitate tuæ.

Frugiferum tamen, & multum prodesse uidebis
Optima principio proposuisse tibi.

Hactenus exposui, quæ sacris Musa canendis
Conueniat breuis hic nostra Thalia fuit.

*Ras ras
ru
mm* ~~Nanq; ea res summam curam, studiumq; requirit,~~
~~Debet & in sacris rarior esse iocus.~~

Adde quod hic uaria est stolidi sententia uulgi,
Omniaq; hæc nostra latius arte patent.

*Non fuit
mon* ~~Ergo hic non uolui multas præscribere leges,~~
~~Propositi sensus non fuit ille mei &~~

NB ~~Nec iubeo multum nostris confidere dictis,~~
~~Sed neq; momenti nullius esse putes.~~

Quære aliam potius quæ competat apta iocando
Materiam, & lepidis quæ sit amica iocis.

Finge tuo Marte ipse aliquid, res elige lætas,
Has quacumq; uoles finxeris arte licet.

Siue placet lepidos uati conscribere uersus,
Ac inuenta suis uerba ligare modis.

Est sua libertas doctis concessa Camœnis,
Semper & in uersu est libera Musa tuo.

NOB

LIBER TERTIVS.

Non est alterius praescriptum ubicunq; sequendum,
Sed licet interdum finibus ire suis. *Non se aliter in
dico praescriptum
co + fac.*
siue aliquid scripturus eris sermone soluto,
Quis dicat lepidos posse deesse sales?
Sicut enim uarijs mutantur caerea formis.
Corpora, Nam digitis res ualet apta tuis.
Nunc hominis, nunc effigiem designat aselli,
Nunc Piscis, uolucris, nunc Leo, nunc fit aper.
Sic licet in uarias scriptum deducere formas,
Quod de te natum est, cuius es ipse parens.
Sed tamen ut classes habeas, formasq; iocandi,
Parte aliqua in scriptis nostra opus arte tibi est.
Ne uelut ignotis erres peregrinus in oris, *Ne eas sum
culus in
ignota ita*
Qui non exactum quo sit iturus habet,
Ergo aliquot leges non stricte ubicunq; sequendas
Praescribam, & breuiter commonuisse sat est.
Principio ingenij cupias cognoscere uires, *Principia
sua
soluta*
Et ratio studij sit tibi nota tui. *Melior uero
est*
Deniq; si sapias, totam perpendere uitam, *AB*
Metiriq; tuo te uelis ipse pede. *ΥΡΩΔΙ
ΘΕΑΥΤΟΥ*
Crede mihi magnam laudem & memorabile nomen,
Omni in rebus ΥΡΩΔΙ ΘΕΑΥΤΟΥ habet.
Et facile efficere est ut sis tibi notus, id ipsum,
Vita homines cunctos quotidiana docet.
Quid tamen hoc profit, quæris? præceptaq; forsân,
Quæ minime profit discere, parua uocas.

DE ARTE IOCANDI,

*NB. Parua quidem fateor, sed deducuntur ab illis
construere et
paruis grandis
altissimis* **Maxima, de paruis grandis aceruus erit.**
Si bene te noris, ratione iocaberis illa

Qua decet, & salibus sponte disertus eris.

Id fiet, si materiam tibi sumpseris illam,

Quae sit, ut esse decet, uiribus apta tuis.

Sponte tibi obuenient, quae scribas grata legenti

Plurima, nec paucos res dabit ipsa iocos.

Si Medicus doctam profiteri Machaonis artem,

Et non, laudata prorsus es arte rudis.

Offeret ipsa tibi pulchros Medicina lepores,

illa potest uerbis addere uerba tuis.

Scilicet excuties & singula quaeq; notabis,

Accedet numero copia magna tuo.

*Innotescit parum
mi nemo
docere potest* **Et quis enim melius quam quae sibi cognita scribet,**

*Innotescit parum
docere potest* **Quando eo quae nescit scribere nemo potest.**

*Innotescit parum
docere potest* **Cui placet & nota est praecleara scientia legum,**

Qui sacri iuris cognitione ualet,

*Am
Varus
vixit* **Huic uarij casus, uariae sine pondere rixae,**

Plurima quae scribat uerba iocosa dabunt.

Scribentemq; sui officij, studijq; monebunt,

Misceat in scriptis ne peregrina suis.

Si tibi Pierides, & eorum scripta probantur.

Si pia Pegasei numina fontis amas.

Ipsa iocos uarios ultrò dabit, atq; lepores,

Ipsa reget calamum docta Thalia tuum.

Nes

LIBER TERTIVS.

Nec tamen usq; adeo leges astrictus ad illas,
Ut modus hic non sit transiliendus, eris.

Non uolo Materia uerseris semper in una,
Non lepidos semper res dabit una iocos.

Et licet & fas est suaves aliunde lepores

Querere, non istud dicimus esse nefas.

Sed quod conueniant procul accersita, negamus,

Hæc res ingenio est perspicienda tuo.

Disce bonas artes, præstans doctrina probatur, &

illa tuum calamum non sinet esse rudem.

Volue manu crebra ueterum monumenta Sophorum,

Nam prodest salibus lectio crebra tuis.

Perlege & historias & dulcia carmina uatum,

Voluere scriptorum proderit omne genus.

Dixerit hic aliquis, Res infinita, Nec isti

Sufficiens ullus forsitan esse potest.

Est ita, perfecte si quis perdiscere tentet

Omnia, nec finem est res habitura suum.

Verum ego te iubeo digitis attingere summis

Optima, quæ lepidi sunt alimenta ioci.

Sicut apes teneros primum depascere rores,

Postea in alucolis mellificare solent.

Elige, quæ salibus præpollent scripta facietis,

Elige scribendo quos imitere uiros.

Perspice qui prosa ualeat, qui carmine præstet

Debet enim studijs neuter abesse tuis.

Procul accersita non

Lectio Historiarum

Nemo potest omnia perdiscere

Prosa & carmine utrumque

Doctilone diis

DE ARTE IOCANDI,

*Commun
sae scripta
Erasmii.*

Doctiloquus (moneo) placeat tibi semper Erasmus
Cuius utroq; patet scripta sub axe legi.

Sunt ea blanditijs & suavi tincta lepore,

Sunt passim lepidis scripta referta iocis.

Quolibet ista trahunt animos, retrahuntq; legentum,

Ut capiant longae tedia nulla mora, &

Sicut, Apellea depictas arte tabellas

Ingenti studio, qui uidet, ille uidet.

Infixosq; oculos retinens, minatur & haeret,

& Lustrandiq; magis tempore crescit amor.

Hac moueant, ut scripta legens imiteris Erasmus.

Inde feres studij commoda multa tui.

Inde sales discas & res & uerba leporum,

In scriptis quorum crebrior usus erit.

Vatibus à summis suaues quoq; disce lepores,

Disce, sed à doctis, tu quoq; doctus eris.

Non hos longinquis opus est accersere terris,

Quin tua per multos Bibliotheca dabit.

Perlege Nasonis celeberrima scripta Poëtae,

Scripta per aeternos non moritura dies.

Inde uenustates, uelut ipso ex fonte leporis,

Ac uelut ex cornu liberiore, fluunt.

Terentius

Est quoq; in Ausonijs laus prima Terentius oris,

Cui merito palmam Comica turba dedit.

Ille tibi uoluendus erit manibusq; tenendus,

Hoc tibi non alius carior autor erit.

Hunc

LIBER TERTIVS.

Hunc tibi præcipuum (moneo) proponere Magistram
Ille sit ante oculos nocte dieq; tuos.

Quæris, in his quæ sit ratio obseruanda leporum,
Quæq; sit utilitas inde petenda tibi.

Disce ea, quæ lepidis sunt conuenientia scriptis,

Disce ea quæ scriptis sunt imitanda tuis.

Quæ sit ridiculis sententia tincta figuris,

Quæ sint in scriptis Mystica uerba, uide

Si quid hyperbolice dicatur, id omne placebit,

Vatibus eximijs conuenit iste iocus.

Non minor Emphatici est animo uiolentia dicti,

Sæpe ioci in scriptis Emphasis autor erit.

Et placet assimilata alijs res, siqua uenuste

Additur, & lepidis conuenit apta iocis.

Quid memorem suaues, plenasq; lepore fabellas,

Addit enim scriptis fabula scripta decus.

Quid lepidos uersus? salibusq; iocisq; refertos,

Quid tribuam laudis suauibus historijs?

Vt taceam in multis iucunda prouerbia scriptis,

In quibus egregius splendor inesse solet.

De quibus illa animo repetens ex parte requiras,

Quæ prior hac numero nostra tabella dedit.

Illa tuis adhibe scriptis, & consule mentem,

Plura iocosa dabit forsitan illa tibi.

Deniq; sic adiunge sales, sic adde lepores,

Propositi ratio constet ut ipsa tibi

Ne nia

*scilicet alijs
sic hinc
logos*

DE ARTE IOCANDI,

Ne, nimium tribuens salibus, uidearis inepte
Non ea quæ res sunt, at peregrina loqui.

Historias narras? non te narrare fabellas

Cogita, & ex rebus quas canis adde iocos.

*Ad iocum
mentis.*

Hæc animo subeant, memoremq; per omnia mentem
Propositi reddant admoneantq; tui.

Sit iocus ex rebus ductus, sit idoneus autor,
Qui possit calami iura nouare tui.

Nam si fecundam uenam natura negauit,
Et phrasis ex aliqua parte coacta tua est.

Disce iocos, scriptis tempestiuosq; lepores
Addere, scribendo uel Theophrastus eris.

Et simul erudiant simul admoneantq; legentem,
Multa etiam possint dissimulare, ioci

Inuidiæ non sis prauæ temerarius autor.

& Nec tua quem libeat carpere scripta uelint.

Quod si te capiet præcepti obliuio nostri,

*Ora pultis
odij*

Qua fugias odium nulla relicta uia est.

Inuidiæ rursus coecæ lacerabere morsu,

Scriptaq; uix ullus quin tua carpat erit.

Nam si diuinum detrectans liuor Homerum,

Dentibus intactum non finit esse suis:

Dic mihi quid mirum? si spirans cholchidos herbam,

Conetur libros carpere lingua tuos?

Ergo habeant magnum præcepta leuissima pondus,

Illorum in scriptis maximus usus erit.

Diximus.

LIBER TERTIVS.

Diximus, in scriptis qua sit ratione iocandum,

Si cupis à multis edita scripta legi.

Nunc breuiter dicam, quid litera scripta requirat,

Litera sermonis nuncia missa tui.

Firmiter hæc animo absentes coniunget amicos,

Atq; homines uinclo proximiore ligat.

Hæc conseruat amicitias, conseruat amorem.))

Hæc facit ut longo tempore duret amor.))

Si tamen in scriptis seruetur ubiq; decorum,

Litera nec salibus fiat inepta tuis.

Nam nisi sit lepidus, nisi tempestiuus, & aptus,))

Et nocet, & nostra non ualet arte iocus.

Sæpe simultates, odium, sæpe excitat iram.))

Sæpe etiam inuidiæ litera causa fuit.))

Ergo quibus tandem mittatur Epistola, primum

Cura sit, ingenio posse uidere tuo.

Inde modus debet totus pendere iocandi,

Hæc omnes stabunt conditione sales.

Scribis ad ignotos? Salium sit parcior usus,

Ludere uelle iocis ne uideare tuis.

Lude sales, caute suaues asperge lepores,

Si ratio scripti non uetet ipsa tui.

Vnde petas res ipsa dabit, res ipsa monebit,

Inspice res ipsas, sponte disertus eris.

Nec tamen astrictum rebus neq; cedere rebus,

Inter utrumq; magis posse manere, uelim.

*Regm fta
in Episto
ms 8*

*Ab Enomodo
qs fin disertu*

Sepe

DE ARTE IOCANDI,

Sæpe iocos præbere potest occasio scripti,

illa potest scriptis addere multa tuis.

Sæpe iocos locus ipse dabit quo litera missa est,

Tum quoq; causa ioci nuncius esse potest,

Quid memorem tempus, quid eam qua scripseris ho-

Quid merita officijs extenuata suis? (ram?)

Deniq; quid uarios casus? quid plurima rerum

Nomina? quæ nostra latius arte patent.

Hæc tibi scribenti sunt obseruanda, nec unquam,

Officij ratio est prætereunda tui.

*Narratio
fabulæ
sæpe vult* Nil uetat interdum lepidas narrare fabellas,

Sæpe fuit suauis fabula digna ioco.

Quod si liberius tentabis scribere quicquam,

In numeros coeat litera tota suos.

Addere sic multum, sic fingere multa licebit,

Quæ nisi sit carmen litera nulla feret.

Quod tamen ignoto scribas non excidat unquam,

Illius imprimis te meminisse decet.

Quæ noua sunt fugias, consuetaq; uerba iocando,

Cura sit & salibus pauca adhibere tuis.

N Sit pudor in uerbis, non sint aduersa decoro,

Sic potes ignotum demeruisse tibi.

Scilicet ex scriptis aliquis cui mentis acumen,

Agnoscet mores ingeniumq; tuum.

Ex salibus si sint lepidi non crimine digni,

Ingenuos mores colligit esse tuos.

Sin mi.

LIBER TERTIVS.

Sim minus, & nusquam iocus est, aut ulla uenustas.

Te genitum rabidis iudicat esse feris.

Teq; tuosq; odit mores, Quis amauerit illum,

Cui non est toto corpore mica salis?

Ergo etiam ignotis tua litera missa placebit,

Si lepidis modicè floreat illa iocis.

Si modus, ut dixi, certus teneatur in illis,

Si fuerit scripti forma pudica tui.

Verum ubi sincero forsitan mittetur amico

Litera sermonis nuncia certa tui.

Quo tibi cunq; libet pacto licet esse iocosum

Quicquid ei cupies scribere, scribe iocos.

Omnia nanq; placent sinceros inter amicos,

Quorum non falsus pectora iunxit amor.

Hic tibi non opus est monitis, sed longior usus

Ostendit multo hæc commodiore uia.

Sic breuibus saltem monitis docuisse uolebam,

Pauca ea sufficiunt, & monuisse sat est.

Tu præcepta uolens, numerũ mea cogere in unum.

Ex paucis tandem magnus aceruus erit.

Hunc etiam librum, si non piget, adde priori,

Fons etenim primus posterioris erit.

Mecq; tuum uatem (tenuem licet) atq; Magistrum,

Dilige qui ex animo quæ dedit illa dedit.

FINIS LIBRI TERTII.

¶

LIBER

*Omnia placent
in familiaribus
amicis.*

*Pauca
monuisse
sat est.*

DE ARTE IOCANDI
LIBER QVARTVS.

Vltimus in cursu labor est stagnantibus undis,
Nostra petens portū nunc quoq; nauis eat.
Hanc tibi non liceat turbare potentibus Austris,
 Aeole, quam perdas Dardana classis erit.
Est pluuijs inimica, furentibus inuidet austris,
 ~~Nam semper fragilis nostra carina fuit.~~
Numina uestra regant, Charites, et ut ante gubernent
 Inceptum cursum numina uestra regant.
Hic iam uester honos, hic laus, & gloria crescet,
 Gloria diuino carmine digna cani.
Quanta sit utilitas, quis honor, quæ cura iocorum,
 Exponet breuibus nostra Thalia modis.
Disce tuum iuuenis qui me cupis esse Magistrum,
 Permultum studio laudis inesse tuo.
Et qui nostra tenes suauis præcepta leporis,
 ~~Te studio indignum nil didicisse puta.~~
Hic tibi picturam referam prius, inde probandos,
 Non una dices utilitate iocos.
Qua patet ad Charitum sedes ingressus amandus,
 Altaq; Parnassi sydera tangit apex.
Lignea dissimili uariata colore tabella,
 Pendet ad ornatas conspicienda fores.
In medio artificis dextra depictus, & idem
 Distinctus geminis partibus hortus inest.

Altero

1
Ois doctrina & Te studio indignum nil didicisse puta.
tu suu
vultu

LIBER QVARTVS.

Altera pars uiolis florens herbaq; pubenti,
Veris & Autumni signa uirentis habet.
Hic herbae & frutices, hic sunt dulcissima poma,
Et sua uix arbor pondera ferre potest. *g*
Somniferã prebet tener hic quoq; Pampinus umbrã,
Nec solitas uires ardor & aestus habent. *W*
Virgineas passim ducentes arte choreas,
Alternos gaudent saltibus ire Dea.
Egregij fidibus iuuenes citharaq; canentes,
Suauisonis cantant carmina facta modis.
Vnã alias uirgo reliquas supereminet omnes
Leticiae adscriptum (sic puto) nomen habet.
Hic hymenaeus adest qui mutua foedera iungit,
Et fidibus Pæan dulcibus ille carit.
Sunt Musæ & Charites, studium quibus omnib. unum.
Pectora Cecropijs exhilarare iocis.
Quid memorem uarios cantus? modulosq; sonantes
Quid uarios plausus, leticiaeq; modos?
Quid multis? uno complectar ut omnia uerbo. *St sumam
nam*
Omnia sunt studijs, omnia plena iocis. *g*
Altera distincti pars non est fertilis horti,
Gramina cuncta isthic arida facta iacent.
Perpetuo ueluti quodam languentia somno
Omnia, nil dignum quod celebretur habent.
Omnia quo te cunq; refers pallentia cernis,
Et folia arboribus plane inimica suis.

DE ARTE IOCANDI,

Hic dolor & luctus, facies hic Stoica regnat,
Inuisis facies torua supercilijs.
Quid dicam? Nihil hic leti est, neq; cernitur ullus
Cui sit in immenso corpore mica salis.
Hæc ibi Apelleo tibi sunt depicta colore,
Artifici ut uideas omnia picta manu.
Addita non paucis est explanatio uerbis,
Illa docet pulchrum quid tibi formet opus.
Vita duplex gemini sub imagine pingitur horti,
Attribuit ueras pictor utriq; notas
Altera, quam pauidis curis uitijq; necesse est,
Altius humanis exeruisse caput.
Scilicet a strepitu uulgi & clamore remota est,
Ac placida semper pace quieta manet.
Conuenit hæc illis quibus est didicisse uoluptas,
Quiq; pijs Musis nocte dieq; uacant.
Sic tamen ut studium quandoq; remittere tentent,
Ociaq; interdum non inhonesta sequi.
Nam decet & licita est alterna remissio Musis,
Alternam requiem qui studet omnis amat.
Sic, donec licuit, quibus æuo contigit uti
Vita carens strepitu uatibus acta fuit.
Credibile est illos tranquilla tempora uitæ,
Fortunæ cunctis præposuisse bonis.
Pierides Naso Pelignæ gloria gentis,
Præposuit Gazis Cræse superbe tuis.

His

*Altera
remissio
grata Musis*

LIBER QVARTVS.

*His olim uarios sibi conciliauit amicos,
Nunc laudem seræ posteritatis habet.
Plurima scripta iocis uarijs ornata reliquit,
Quæ sunt perpetuo non moritura die.
Quid memorem Romane etiam tua scripta Tibulli?
Quid laudem ingenium doctæ Catulle tuum?
Sic etiam Andinus uates, sic uixit Homerus,
Qui cecinere suis Troia bella modis.
Horrida bellandi sæuiq; pericula Martis,
Res grauis, & lepidis plane inimica iocis.
Qui tamen hæc ab ijs uersu descripta uidebunt
Dicent, in media est hic grauitate iocus.
Nam uoluere quidem, iucunda legentibus essent,
Ut fierent lepidi tristia bella ioci.
Adde, quod interdum posita grauitate canendi.
Carminibus dulces lusit uterq; sales.
Ludicra cum ranis murum descripsit Homerus
Prælia, quæ lepidis res magis apta iocis?
Pastorum facili noster Maro lusit auena.
Materia salibus conueniente suis.
Quid moror in uatum studijs? Musa ipsa Poëtæ
Et regit, & pellit, nec sinit esse feros,
Ipse etiam eloquij uerus pater unus & autor,
Quid melius dulci censuit esse ioco?
Cui licet haud leuibus peragenda negocia curis, *MB*
Et fuerit tanti cura tenenda fori.*

DE ARTE IOCANDI,

Musa tamen placuit, fuit hæc recreatio uitæ,
Huic studij cupidus tempora multa dabit.
Omnibus hæc doctis placet, & ratio omnibus una est.

Pectora solus Pectora Cecropijs exhilarare iocis.
satu gra Pectora, quæ nimio studij defessa labore,
morb' studij Nil melius studijs quo recreentur habent.
l'morb' recreen'

Ich a Scorpij Non aliter quam si telum quem fixit acutum
solam ab us Scorpius, & morti damna propinqua dedit.
dem polpro Utitur his ipsis qui iam nocuere uenentis,
r'Amo d'm

Et petit ex illo qui modo lesit opem.
O fortunatos quibus hæc medicina paratur,
Et licet hac uitæ commoditate frui,
Altera quam pingit locus alter inutilis horti
Vita, carens salibus Stoica dicta manet.
Hæc grauis, hæc semper multis obnoxia curis
Permanet, ac toruis plena supercilijs.
Conuenit hæc Cynicis, morosis omnibus illis,
Qui sibi non ipsis uiuere turpe putant.
Cognitione hominum quæ sunt dignissima tractant,
Atq; suum studium nobilitate probant.
Omnia sed tenebris studio est innuoluere cæcis,
Mens illis suadet nil nisi uana sequi.
Inde ea quæ fuerant iucunda legentibus olim,
Immundo reddunt omnia plena situ.

Certe in ijs grauitas odiosa & tetrica regnat,
perian' Stoica Dissereant quibus hæc Stoica uita placet.
Min' Path

Hanc

LIBER QVARTVS.

Hanc duplicem gemina demonstrat imagine uitam.

Quæ modo descripta est picta tabella tibi.

Altera præfertur quæ uatibus optima uisa est.

Emicat ~~et~~ uario est dignior illa gradu. *Q*

Et quanto est melior brumæ laudabilis æstas.

Tanto hæc uita manet nobilitate prior.

Est eadem ueterum sententia dia sophorum,

Et sunt iudicio congrua scripta meo.

Inde, hominum uitæ cetera condimenta quod essent

Dicebant, uocis nobilitate, sales.

Scilicet istorum contingit munere, quicquid

(Sic dixere) hominum uita saporis habet.

Nam si perpetuis sint cuncta obnoxia curis,)

Ac æterna animos sollicitudo premat.))

Si teneræ non sit quædam recreatio uitæ,))

Et capiti perstet nil nisi triste tuo.) /

Vita quid est aliud gelidæ quam mortis imago,) /

Et miseranda animæ carnificina tuæ.))

Ne diuturna putes quæ nullo tempore cessant,

Alterna requie quod caret omne perit.

Hæc bene præuidit cœlestis conditor orbis,

Cuius uertuntur regna ducesq; manu.

Temporis inde uices, partesq; uolubilis anni,

Constituit, sapiens ordine quæq; suo.

Æstatemq; hyememq; dedit, mutatq; cœli

Sydera, nec dubijs facta Elementa locis.

F 4

Inde

*Si iniquis fas
e nobis quæ
satis potest*

*Omnia quæ
ceteris quæ
vult fieri*

DE ARTE IOCANDI,

Inde suam expectant animalia cuncta quietem,
Temporaq; in somnis certa laboris habent.

Tunc omnis cessans à uomere libera terra est,
Lux noua Solstitij quando hyemalis adest.
Arboribus quoq; tunc requies contingit & herbis,
Et, breuiter dicam, tota quiescit humus.

Falciferæ cessant brumali tempore uites,
Atq; illo requiem tempore Bacchus habet.

Non sentit tumidos fluctus, uentisq; procellas,
Aequoris in placidis tuta carina uadis.

Hoc quoq; consilio diuinus rector Olympi
Constituit noctem, constituitq; diem.

Illam quidem ut requies cunctis uescentibus auram
Aetherea, hæc operæ cui libet apta foret.

*Enid. gra
nfs. h. v. 109.* Quis dubitat gratam mortalibus esse quietem,
Quo nihil utilius corpus habere potest.

*Eng. d. car. illa
ca. 11. n. p. 1. t. ac
An. v. 1. 1. 1.* Illa nouat uires, & iusto membra labori
Apta facit, solitum restituitq; decus.

non. 1. Perpetuo nullus, quantumuis robore præstet,
Nec dormire potest, nec uigilare potest.

Ipsa hominis requiem quandam natura requirit,
Et cessare homines illa aliquando iubet.

Audacem iuuenis linquit per sepe Palestram,
Et recreat certis brachia fessa modis.

Non semper bellator erat, bellator Achilles,
Interdum lepidi carminis autor erat.

Sæpe

LIBER QVARTVS.

Sape etiam posuit prægrandi pondere clauam,
Qui manibus domuit monstra tremenda suis.
Omphalum tenuit persuasus pollice fufum,
Et muliebri adeo nobilitauit opus.

Si tantis optata quies heroibus olim,
Et fuit, atq; aliter non potuisse liquet.

*Sic fuit &
non aliter*

Si labor assiduus nec cessans actio, multis,
Res optanda quidem, non toleranda fuit.

Quid tu perpetuis curis, multoq; labori
Sufficias? an non Hercule maior eris?

Nec tamen hic uires summumq; in corpore robur
Aestimo, longe aliud corpore maius habes.

Est animus ratione ualens, qui corpori inheret,
Et facit, ut brutum dicere nemo queat.

Sustinet ille quidem multo maiora, nec illi
Pondera qua numeret, sufficit ulla dies.

Semper habet quod tractet opus, semperq; laborat,
Semper agit, sensu non nisi nocte uacat.

NB.

Idq; homini, cui Musa placet, studiumq; bonorum
Et patet, & multo notius esse potest.

Nanq; omnes superat studij meditatio curas,
Discendi ingenium grande fatigat opus,

Non ibi languescunt (quamuis minuuntur ab illo)
Quas uires hominis corpus habere potest.

*Strenuoy
laboris
magis
omnibus curis*

Non manus hic callo durata obducitur ullo,
Nec pedibus morbus nascitur inde tuus.

F 5.

mpsa

Iuueno ex immo
Suo Audio

DE ARTE IOCANDI,

*Vita sine quiete
pari.* Ipsa, tibi, cuius contingit munere sensus,
~~Vita quiete carens debilitata perit.~~

NS Inde animi multos spoliari sensibus olim
Vidimus, & uitæ parte carere suæ.

*Corporis &
etiam ratio
non sequitur
hæc.* Vidimus & furij agitari, & mente carere,
Hic furor ex studijs non aliunde uenit.

Non tamen hæc Musis culpa assignetur, & ipsis
Artibus, haud quicquam Musa furoris habet.

Sed quia quæ studijs adhiberi debuit, illis
Grata negata quies, sensum abijisse liquet
Quo magis, o iuuenes Musis quicumq; studetis,
Esse aliquid lepidos quæso putate iocos.

Et quia fessa suam requiem natura requirit,
Qua sine non animus qui fuit ante manet.
Crede equidem lepidosq; sales suauesq; lepores,
Semper id esse animo quod medicina tuo.

Quandoquidem studij recreatio certa, lepores
Ac ueluti uitæ sunt alimenta tuæ.

His uariæ curæ, luctusq; dolorq; fugantur
Nulla animum torquens sollicitudo manet.

*Mors in
mijis habet
vbi. quæ
oculis nostrum.* Quam multi ante diem miserè periere supremum?
Et stygij exanimis regna adiere Dei?

In promptu causa est, Medicina hæc defuit illis,
Nec licuit tanta commoditate frui.

Et quid adhuc causam mortis miramur in illis?
Quidnec recens mortis credimus esse genus?

Tempore

LIBER QVARTVS.

Tempore consumi lapides ferrumq; uidemus,
Hoc dubitas animo durius esse tuo?

*Tempore
frangit*

Tempore magnæ urbes labuntur, & oppida multa
Longa dies etiam durum adamantina terit.

Quid mirum, si languescunt in corpore uires,
Atq; hominum fragilis tempore uita perit?

Hæc mihi scribenti, ueniens sic Parca locuta est,
(Vidimus & Lachesis arguit ipsa colus)

Iam scio te, nostros culpantem uoce labores,
Dicere, nos duri pectoris esse Deas,

Quid iuuat innocuas sceleris damnare? quid illas
Spernere, quas uoluit Iuppiter esse Deas?

Atq; adeo à multis (cum sim sine crinine uita)
Cur toties uerbis carminibusq; petor?

Me culpant Reges, me plebs, pueriq; senesq;

Nemo tamen, merito quod reprehendat, habet

Cuncta potestati nostræ subiecta fatentur,
Subiectum mundum legibus esse meis.

Nec tamen est (nisi cuncta illi subiecta fatemur,
Quæ fortis proprijs uiribus esse nequit)

Multa olim memini mihi gloria, splendor, honores,
Egregium nomen secla priora dabant.

Non ita regnabant, quæ nunc dominantur in orbe
Ebrietas, luxus, bella cruenta, neces.

Non Venus aut ualidum frangebatur pectora uinum,
Rarus & in bello qui cecidisset erat.

NB Omnes
in dany
nisi se
nisi in
habet de
in mlt
et phinea

NB
Angla
Pecula

NOB

*Turba quae non in seipsum sed in mundi
Et prima innocens esse mortali; erat
Cum veteres vixere patres sanctosque phoe &*

DE ARTE IOCANDI,

*Archi de p. 171
pateris huius
fama d. 171*
Non animum cura, non sollicitudo premebat,
Omnis auaricia nescia turba fuit.
Ergo animo vires, firmumque in corpore robur
Mansit, & infractum secula multa stetit.
Sepe aliquis, uiridi meminit quam gramine quercum.
Vidit in aequum consensuisse nemus.
*Prior etas
longior* Sepe aliquis numerans iucunda tempora uitae,
Sepe etas ualida in tertia uidit auum,
At cum degenerare homines coepere, suique
Immemor, & uitij dedita turba fuit,
Vita breuis, tenerum, ualido sine robore, corpus
Contigit, haec hominum non mea culpa fuit.
Sepe meum tenui gestantem pollice fusum,
Iam uix inceptum Mars mihi rupit opus.
Sepe homines ipsi, dum in mutua uulnera tendunt,
Ruperunt manibus fila tenenda meis.
*NB
Multi
sunt sibi
ipsis causa
mortis.* Nunc etiam abbreviant multi sibi tempora uitae,
Et sunt interitus causa propinqua sui.
Et tamen haec miseram, ueluti me culpa nocentem
Obruit, atque ream criminis esse facit.
O non equa meo mortalis turba labori,
O male iudicium turba sequuta tuum.
Sepe mihi interitus, pueri, iuuenisque senisque
Qui cadit ante diem, uulnera magna facit
Imo equidem quicumque Stygis descendit ad undas,
& Crede mihi, haud nostris legibus ille perit.

Est

LIBER QVARTVS.

Est Deus, est rerum dominus, qui fila gubernat,

Qui nostras quo uult pertrahit ipse manus.

Sæpe quidem uarios nobis facit ille dolores,

Si quem forte mori iusserit ante diem.

O quam sæpe equidem rupturam fila negaui,

Ipsaq; tam durum dextra negauit opus.

Hinc Eobane mihi nuper miseranda dedisti

Tempora, docta nimis flere, dolere, queri

Hæc mihi quam uolui pro te succumbere morti,

Et quam sæpe animo sum mihi uisa mori

Nec licuit, Superum stetit immutata uoluntas,

Iussit & omnipotens frangere fila Deus.

Res mihi nota quidem, nec mortis causa latebat,

Quis dubitat? summus causa erat ipse Deus.

Præripuit mundi te casibus ille futuris,

Instanti uoluit præripuisse malo

Ne, uentura hominum quæ sunt mala damna, uideres,

Et mala, quæ Christum turba sequuta feret,

Nunc fortunatus tranquilla in pace quiescis,

Et spernis summi totius orbis opes.

Hæc non inuideo tibi, nec lugenda putabo,

Tristitiæ hinc longe est causa remota mea.

Me scio damnabunt uates tua fata canentes,

Et mea quæ non est, culpa futura mea est.

O utinam toties quoties optabo, liceret

Parcere quam uellem nomen amare meum.

Sed

Per stingu
D' carpi
Eobanum

Deus in hunc
in imper
deni
casib:

Culpa fut
nta q nō es

DE ARTE IOCANDI,

Scia quid ijs liceat, quibus ipsum uiuere mors est:

Et quibus interdum uita negata fuit?

Viuere posse tamen, uitam dedit ipse perennem

Iuppiter, ô si non perpetua illa foret.

Perpetuas hominum uoluit Deus esse ministras.

Nec poterit finem noster habere labor.

Nocte dieq; manet pregnans in pollice fusus,

Et sunt non uno fila trahenda modo.

Sæpe quidem labor est uno renouandus in anno.

NB Atq; nouas curas quælibet hora facit.

Nunc alijs iterumq; alijs perèuntibus, unam,

Frangere nunc cogor, nunc reparare colum

Sed neq; qui pereat, neq; qui periturus in orbe est,

Novimus, hæc soli est res bene nota Deo

Dixerat, & tenues fugiens ceu uentus in auras

Q Addidit hæc uerbis ultima uerba, uale.

Mox audita animo mecum peruoluere coepi,

Et res iudicio est tota probata meo.

Quod si me nullis credis rationibus usum,

Iudicio stabunt non minus illa meo.

Sunt mihi tercentum, nec sunt sine pondere causæ

Q Ipsaq; res testis certior esse potest.

NB) Inspice res hominum, uarie confusa uidebis

)) Omnia, nec ueterem qui fuit ante statum,

) Anuenies multos uarijs rationibus ipsos

)) Plus nocuisse sibi, quam nocet ipse Deus.

Hunc

LIBER QVARTVS.

Hunc animi curis, istum sine mente bibendo,

Atq; alios alijs interiisse modis.))

*Homo homi
ni Lupus e.*

Sed quæ stulticia est hominum? sibi sponte nocere,

Et quæ stulticia est? sponte perire sua?))

Qui te posse frui dedit ipso munere uitæ,))

Qua tandem dederit conditione, uide))

Vt prodesse alijs posses, aliosq; docere,

Hoc uitæ munus iussit habere Deus.))

Ergo animum ut fessum recrees, aliquando iocari

Et licet, & fas est, & Deus ipse iubet.

Hoc monet utilitas uitæ, ratioq; decori

Postulat, id certe non uiolare decet.

Summus Aristoteles uocat inciuilia corda,

In quibus est nunquam mica reperta salis.

*NB: Inciuiles
homines q.*

Et Plato Xenocratem, cum uultu Stoicus esset,

Iussit Pierijs sacrificare Deis.

Hæc tibi si forsan, iuuenis, leuiora uidentur

Quam quibus hoc tribuas, quod tribuisse decet.

Natus es è scopulis & saxis durior ipsis,

Durius infraeto cor adamante geris.

*NB: De homine
duro*

Sed puto iudicij iam te grauitate moueri,

Inq; animo uerbum pondus habere tuo?

Nam quia uiuendi ratio monet ipsa, quid obstat

Quo minus ut debes hæc mea dicta probes?

Non mea sunt, nec enim poteris nostra esse putare,

Ipse tibi sensus talia uerba dabit.))

Die

DE ARTE IOCANDI

*Vita sola
via mori
hominis* ¶ Dic mihi, quid fueris nisi pondus inutile terræ?
Si tibi cum socijs uita negata foret.

¶ Si tibi cum nullo penitus uiuente loquendum,
Consuetudo hominum sit fugienda tibi.

Id fieri, res ipsa docet quæ Regula uitæ est,

Quæ placeant alijs dicere nulla queas.

Qui studet, ut scriptis multum sit & ore uenustus

Non petulans, audax, turpis, & ore loquax.

¶ Dic ubi non placuit? nec conciliauit amicos,

Dic ubi non multis gratior ille fuit?

Vincere siue placet iucundos inter amicos,

Atq; animos lepidis exhilarare iocis.

Siue apud ignotos uarijs peregrinus in oris

¶ Vixerit, optatus cuilibet hospes erit.

*Nemo pot
odiat
suis Anta* Deniq; quicquid aget tandem, quæcunq; loquetur,

¶ Non poterit dictis fautor abesse suis.

Sicut enim summos montes syluasq; ferasq;

Ad numeros Orphei profiluisse ferunt.

Sic aliquem salibus dictisq; iocisq; facetum,

Qui uidet omnis amat, diligit, atq; fouet.

Verum alios qui sunt rigidis de cautibus orti,

Quos genuit dura Parthica Tygris humo.

173. Nullus amat, nec amare potest, sed quilibet odit,

Oderunt iuuenes, odit & ipse Deus.

Gratæ illis tenebræ, gaudent soli esse nec unquam,

Natura ad placidos flectitur illa iocos.

DUM

LIBER QVARTVS.

Dum studium grauitatis amant, modo uana sequuntur,
Stulticiamq; suam sub grauitate tegunt.

Nec tamen hic grauitas à me reprehensa putetur,
Illa suum in rebus debet habere locum.

Hos reprehendo, quibus grauitas morosa probatur,
Ac ceu digna coli Stoica uita placet.

Est modus, hunc grauitas praescripta lege sequatur,
Est modus, ingenuis conuenit ille iocis.

Hæc pete cuncta suis ex fontibus, ordine certo,
Hæc docet & monstrat pagina nostra prior.

Quid moror in paruis? iocus est sapientia magna,
Et iocis interdum plus grauitate ualet.

Hæc exempla probant, quæ sunt certissima signa,
Musa etiam exemplum commemorare iubet.

Seditio Ausonia quondam noua in urbe coorta est,
Atq; nouus populum traxit ad arma furor.

Nullius eloquio præceps commota ruebat,
Pro laribus proprijs turba parata mori

Non aliter, quam si consuetis sedibus acta,
Hostibus à fucis commoueantur apes.

Per diuersa ruit loca concita turba uolantum,
Misceturq; uno conglomerata loco.

Arruit in medios, placido spectabilis ore
Orator canis eloquioq; potens.

Et cupiens populi uerbis sedare furorem,
Res noua, quod dicam, res noua, dixit erit.

G Atq;

Ternioy
morosy

Expla
informa
G. Signa

DE ARTE IOCANDI,

Atq; ita cum populum clamanti uoce uocasset,

Impavidus cœpit talia uerba loqui.

*Fabula de
ventre
aegrotantis
cum rhyon
membra
deserere*

Omnibus (ut fama est) amissis uiribus olim

Aegrotus longo tempore uenter erat.

Membra laboranti morbis non æqua sodali,

Pesq; manusq; illi dura negabat opem.

Ille igitur magis infœlix languescere cœpit,

Atq; mala in longas conualuere moras.

Impia senserunt tandem, sibi membra parari

Exitium, ac humeris damna ferenda suis

Ergo, malum ex æqua, meliores, parte ferendum.

Et cum uentre suo iam statuere mori.

Pœnituit socium se deseruisse, sed istud

Officij pensant sedulitate sui.

Sic tandem misero uires & robora uentri,

Et redijt membris qui fuit ante uigor.

*Aegromm
dalu*

Quod nisi nunc etiam nobis qui bella paratis,

Istud ad exemplum damna cauere placet.

Alter & alterius, ceu uenter & inuida membra,

Dissidio moto, destituatur ope.

Membrorum exemplo, res certa, peribitis omnes

Quæ uenit, hæc cunctis pœna luenda uenit.

Talibus obstupuit populus, mentemq; recepit,

Et tota extinctus desijt urbe furor.

Quod grauitas, quod non potuit facundia diues,

Quod nullæ uires, hoc potuere ioci.

I nunc

LIBER QVARTVS.

I nunc dic artem nusquam prodesse iocandi,
I nunc dic minimum laudis habere sales.
Nec tamen hoc uno cupio mea uerba probare
Exemplo, historiae millia multa dabunt.
Tractarunt iuuenes conuiuia leta Tarenti,
Quos tum coena domo iunxerat una duos.
Incaluere mero, nec eorum cauta loquendo,
Sed nimis in Pyrrhum libera lingua fuit.
Ergo ubi saluari mala causa, & crimine digna,
Nec posset uerbis res manifesta tegi.
Supplicium capitis miseros post facta manebat,
Dictorumq; grauis poena luenda fuit.
Cumq; rogarentur, quæ dicti causa fuisset,
Respondens lepidis uocibus alter, ait
Quod nisi deficiens laticem lagena negasset,
Regem occisurus si licuisset eram.
Talibus euasit poenas, & uterq; iocando,
Præcauit capiti damna futura suo.
Quid moror exemplis? iocus est recreatio uitæ,
Ille dat auctori commoda multa suo.
Ille fugat curas, tristiciq; è corde dolores,
Et recreat miris pectora fessa modis,
Ille alios alijs placans coniungit amicos,
Ille hominum mores non sinit esse feros.
Hoc tibi multorum bene conciliare fauorem,
Hoc poteris multos demeruisse tibi.

A hinc
ex plm
in quo
uocis plm
rmm no
mest
habm.

Commoda
ita uoci vs
e dar

DE ARTE IOCANDI,

Cum uel apud notos, & cum presente loqueris,
Vel mittes digitis scripta notata tuis,
Nam sicut Venerem Magnetica gemma figurans,
Quelibet ad sese ferrea frusta trahit.
Sic rapit, inq; suum multus ui cogit amorem,
Cuius sunt lepidis scripta referta iocis.
Quis non semper amat, quem se non cogit amare,
Et cui non dulcis Tullius esse potest?
In nomine
Cicero's Tullius eloquij pater, & lux aurea Roma,
Cuius ab ore potens lingua latina fluit.
Nota cano, cui non scriptis iucundus Erasmus?
Quem non blanditijs attrahit ille suis?
Non quibus est blandus Gnato, quibus utitur idem,
N. Dum lingua fucum decipiente facit.
Sed ualet ars in ijs, suauis ratione iocandi,
Atq; Tibulleo qui uenit ore lepos.
Ergo isti ualeant, & mente carere putentur,
Qui dicunt precij nullius esse sales.
Te non, tantorum uestigia pressa uirorum,
Fac nunquam pudeat poeniteatue, sequi
Et cur poeniteat? Quando inciuilis habetur,
Qui nunquam didicit uerba faceta loqui.
Cur pudeat? quoniam summum praecepta iocandi,
Scribere Philosophum non puduisse liquet.
Cur pudeat? summi Ciceronis scripta supersunt,
Quorum iudicio dicta faceta ualent.

Quod

LIBER QVARTVS.

Quod uel Aristotelem decuit linguaeq; parentem,
Te quoq; quisquis eris posse decere puta. ¹³
Nec nuper collecta putes, inuentaq; nuper
Inuide, de salibus quæ tibi cunq; dedi.
Nam scio proscindet nostros mala turba libellos,
Forte aliquis nostrum sic reprehendet opus.
Quid rem fortuitam sub leges cogere tentas?
Non profecturum, quod facis, omne facis.
Nam quod ab artificis naturæ munere pendet,
Et quæ sponte ualent arte ualere putas?
Desine uana loqui liuor, quid inania culpas?
Non stant iudicio carmina nostra tuo.
Si licet, autores suauis reprehende leporis,
Qui lepidis primos erudiere iocis.
Si tamen (ut nunquam potuisti) garrule Mome,
Non potes hic mores dissimulare tuos. *¶*
Perge loqui, modo displiceam tibi, nulla morabor,
Magna mihi laus est displicuisse tibi. *¶*
Hactenus inuidiæ respondimus, illa tacendo *¶*
Contemnenda mihi, uel superanda fuit.
Sed tamen est licitum teneram defendere Musam,
Da ueniam, Lector, uersibus oro meis.
Et placeat studium, placeat propensa uoluntas,
Quam pia turba probat, quam probat ipse Deus.
Nunc mea contingant, optato littore portum
Laxata in multos candida uela dies.

FINIS.

ELEGIA IOHANNIS STI-

gelij monens, ut pauperes onerati honestis laboribus, suam sortem boni consulant, etiamsi non accipiunt iusta premia.

ἄνος ἐπίπονος.

Quondam asinus rigido iussus seruire colono,
Indoluit sortis fata seuera suæ.
Exiguūq; cibum accusans, magnūq; laborem,
Sæpe aliam cupide siccus hiabat herum.
Tunc quoq; iciuno plenos cum uentre quasillos
Ferret, in hæc fertur uerba rogasse Iouem:
Iuppiter Arcadicis olim bene cognite syluis,
Arcadicum facili ser precor aure pecus.
Non ego nunc pellem fului mihi posco Leonis,
Sat premit hæc nostrum fabula trita genus.
Des alium dominum, dederis sic omnia, tantum
Seruicij durum deprecor huius onus.
Annuat, & figulo commendat Iuppiter illum,
Hæc quoq; sors illi non toleranda fuit.
Imposito sudat Samiæ sub pondere terræ,
Atterit hirsutum tegula dura latus.
Sæpe etiam lapsus diffractis uapulat ollis,
& iunctaq; cum multo uerbere probra tulit.

Ergo.

Ergo iterum ut dominum misero mutare liceret,

Multa facit summo uota molesta Ioui.

Accipit hunc, ueteres solitus deglubere pelles,

Impura cerdo qui facit arte lucrum.

Hic dum sera graues, labor ipsa senecta, labores,

Ingrato minime grata recusat hero,

Occidit immeritæ pecus ictum uerberare clauæ,

Fataq; detracta pelle suprema subit.

Hei mihi quam frustra fato obluetur acerbo,

Qui meritis poscit præmia digna suis,

Sis asinus, quemcunq; asinum sors aspera fecit,

Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.

FINIS.



Sequuntur

SEQVNTVR IDYL

LIA QVAEDAM, AVTO

re Ioanne Stigelio.

QVERELA PIORVM, DE TY

rannis, qui trucidant pios

Sacerdotes.

OMNIA perpetua qui maiestate gubernas
Cuius ad incessum cuncta creata tremunt,
Qui sola populos hac conditione creasti
Ut te non ficta religione colant,
Qui populos habitans inter tua uerba professos
In te fisa pia corda tueris ope,
Innocui praesens qui deniq; sanguinis ultor
Ferre diu nescis impia facta Deus:
Aspice quae iactent adflictos fata ministros,
Tradimus inuicta qui tua uerba fide.
In nos consurgunt gaudentes caede Tyranni,
Ut uerbi impediant dogmata uera tui,
Incensiq; odio, saevaq; libidine caeci,
In nos horrendi tela furoris agunt.
Hic gladio, hic laqueis, hic flammis sauit & undis,
Et nostrae non est una figura necis.
Nec satis est iugulare, sed est mactare uoluptas,
In moremq; abiit cede lauare manus.
Ecquid adhuc lentus iustam non surgis iram?
Et potes haec in te ferrea corda pati.

Ecquid

Ecquid adhuc memores Deus expectate tuorum,
An tuus hic in nos languet & aret amor?
Non ita, sed iusto circumspicis omnia uultu,
Et te quod fallat nulla Tyrannis habet.
Iusta rebellantes tua conterit ira Tyrannos,
Ut pedibus figulus terrea uasa terit.
Tu trepidos iusta sudisti cæde Philistos,
Impia qui populis arma tulere tuis,
Mersisti tumidas cœcum Pharaona sub undas,
Traijcerent populi cum uada sicca tui.
Es quoq; Amorrhæos lapides iaculatus in hostes,
Quos Iosue forti contudit ense tuus.
Impius occubuit gelidis Maxentius undis,
Putribus Herodes lendibus esca fuit.
Persica Iuliaden blasphemum sica peremit,
Constricto pœnas Commodus ore dedit.
Tu nostris animis inuictos inseris ignes,
Cordaq; das omnes uincere docta minas.
Te duce ridemus rigida tormenta catasta,
Te duce supplicij spernimus omne genus.
Tu facis, ut medio mortem aspernemur in igne,
Ut leue sit nobis quidquid ubiq; graue est.
Da uires animis da nescia pectora frangi,
Quæ nullis cædant da pia corda, minis.
In cœlo recipit fuso pro sanguine uitam,
Militat inuicta qui tibi Christe fide.
Illa blasphemis rumpantur ut ipsa Tyrannis,
Ut sine fine odij seuiat iste furor.

G S

Illuc

Nunc me credebam sub fumida tartara mitti,
Nunc tolli nitidi rursus ad astra poli.
Iam loca disruptæ delapsus ad infima terræ,
Non aliquid uacuae rebar adesse uiae.
Non erat auxilium, non spes erat ulla salutis,
Visa sed ante oculos mors uolitare meos.
At tibi non uisum est, ut præpete morte perirem,
Omnia qui seruas magne creata Deus.
Hanc mihi ab instanti seruasti funere uitam,
Optatae reserans molle salutis iter.
Non properare tui uoluisti fata ministri,
Impediens auidæ lugubre mortis iter.
Vox mea celsa tui penetrans sacraria templi,
Te miseris mitem sentijt esse Deum.
Ab nimium uani, quicumq; pericula uitæ,
Humana tolli posse putatis ope.
Rebus in aduersis hominum uos robore freti,
Creditis haud aliquem qui iuuet esse Deum.
Nil uobis dextre succedit, & omnia turbat,
Vos quoq; in extrema linquit agone Deus.
At tibi sacra feram gratam testantia mentem,
Persoluamq; tibi debita uota Deus.
Et tibi sancta tuam præconia fassus ad aram,
Perpetuus meriti debitor huius ero.

TROPHAEVM.

Fluctibus Oceani tumidisq; ereptus ab Euris,
Optatum madido dum pede tango solum.
Accipe

*Descriptio
nis iaculi
in oratio*

Accipe quod tacto tibi littore pono trophæum,
Seruatus nutu Christe benigne tuo.
Non remos, non uela tibi, non pono rudentes,
Et quidquid diuis ponere nauta solet.
Ecce tibi statui sincero in corde Trophæum,
Pegmate quod firmo sustinet alta fides.
Assiduaq; tibi perago præconia uoce,
Et grates toto pectore semper ago.
Hæc tibi grata scio, nec enim monumenta moraris,
Ipse sibi fidens qualia mundus amat.
Auge animos mihi Christe pios, & cætera uitæ,
Numinis auxilio fata tuere tuo.

VIOLA.

PRima ego purpurei mittor prænuncia ueris,
Cui uiolæ uoluit nomen inesse Deus.
Tempore quo immeritæ Christus sacra uictima morti,
Est datus, è terra profero nata caput.
Tempus ut admoneam properantibus ire diebus,
Reddita quo miseris est meditanda salus.
Puniceum tunicæ refero uestita colorem,
Qua fuit indutus Christus homo, atq; Deus.
Sic certis homini monstro uestigia signis,
Saluifici ut cupiat sanguinis esse memor.
Adde quod inuerso refero dum flore cucullum,
Iudæum eterno damno dolore scelus.
Nec uiolæ nomen teneo, uiolando quod obsim
Sed passim pedibus quod uiolanda terar.

Sic

Sic probo proiectum passim mala plurima Christum.
Plurimaq; infido semper in orbe pati.
Hæc mea crux: alijs etiam sua functio restat,
Sicq; creatori seruiio grata meo.
Disce meo exemplo, mandato munere fungi,
Acceptus placido qui cupis esse Deo.

CASSITA.

Ipsæ Deus prohibet curas, quæ corda fatigant,
Ut cumulent uitæ iugiter huius opes.
Sed probat et poscit diuina uoce laborem
Otiâq; ingenij nulla iacentis amat. *Deus no amat
otia.*
Grata Deo est auidis industria libera curis,
Quæ bona sincero parta labore tenet.
Ille gerit Stygios iam tum ceruice Caminos,
Qui facit arguto sordida lucra dolo.
Qualis est, quicumq; Dei tam nobile donum
Integra corruptis uina uenenat aquis.
Huic Charites, omnes, huic Musæ dicite diras, *Exsecratio*
Obruat hunc iaculis ultor Apollo suis.
Huic cibus attactus Phrygium concreseat in aurum,
Huic premat assidue Tantalus ora sitis.
Certa sumus nati sociatæ ad munia uitæ,
Quisq; sui debet muneris esse memor, &
Et lato præstare animo quod postulat usus,
Et finem absq; omni fraude dicare Deo.
Cernis ut exemplo pia sit mortalibus ales,
Cui nomen capitis plumea crista dedit

MOE

Mane recedentes cum lux fugat orta tenebras,
 Tacta q̄; cum primo gramina rore madent.
 Prima diem cantu grates referente salutans,
 Sentit, & è stratis corpora nostra uocat.
 Inde operum inspectrix homines solata canendo,
 Omnia spe letæ mentis agenda monet.
 Luce silet media, diuino q̄; obuia casu,
 Per latebras grata prandia uoce legit,
 Interea reparant uires mortalibus umbrae,
 Et reficit sumptus corpora nostra cibus.
 Mox iterum cantu summas effertur in auras,
 Atq; iterum ad uitæ munia, signa canit.
 Tum cursu librata uago, nunc peruolat illuc,
 Nunc huc, & uaria pectora uoce leuat.
 Nec solet ex agris nisi sera cedere nocte,
 Cum studijs iustus debet adesse modus.
 Tunc hymnis etiam complens resonantibus auras,
 Voce sua gratos nos iubet esse Deo.
 Vlla quis interea certis tibi pabula curis,
 Comparat, unde queas uiuere dulcis auis?
 Quis curis animum pro te stimulantibus angit,
 Ut redeunte iterum sospita luce canas?
 Scilicet ipsa fames quos primum cogitat, ultro,
 Expositos grato colligis ore cibos.
 Ille tibi Oeconomus, pincerna, & structor, & altor,
 Omnia qui gratis condidit, atq; dedit.
 Grammine qui ualles, qui terram frugibus ornat,
 Consita qui largis imbribus arua rigat.

Per

*In suis pro
audijs*

Per quem coruorum soboles à matre relictæ,
Per quem certa rudis pabula passer habet.
Huic mea uita suos commendet grata labores,
Huic meus inceptum destinet omne labor.
Ipse ego quæ pietas, uel quæ respublica poscit,
Tranquillo gaudens pectore semper agam.
In uentos abeant rodentes pectora curæ,
A quibus ad Stygios est uia prona lacus.
Me iuuat ex animo, mandato munere fungi,
Ipse dabit plena cætera messe Deus.

FINIS.

VITEBERGAE.

Ex officina Typographica

Viti Creutzer.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FILIS.

VITBERGAE.

Ex officina Typographica

Vin. Cincier.

107
2




0/20 99

X 2203417

me





DE ARTE

IOCANDI LIBRI QVA-
TVOR SCRIPTI CARMINE A

MATTHEO DELIO FILIO MATTHEI

Delij gubernantis Studia

Doctrinae in Inclÿta

vrbe Ham-

burga,

Cum præfatione Philippi Me-

lanthonis, de tribus virtu-

tibus in sermone, Ve-

ritate, Comitæ &

εὐτραπέλιον.

VVITEBERGAE

1555.

